

Pd. 42.



24. 25

Pro Die 2. Aprilis Anno MDCCLXXII.

à medio 9. ad med. II.

IN AUDITORIO MAJORE TREVIRENSIS ACADEMIÆ

EXERCITIUM JURIDICUM,

TENTAMINI PRO GRADIBUS

PRÆMITTENDUM,

PROPOSITIS EX JURE VARIO THESIS,

QUAS

PRÆSIDE ME

GEORGIO CHRISTOPH. NELLER,

J.U.D., & ad Ss. Theolog. Doctoratum admissio, Ss. Canonum
Professore ordinario, & Facultatis juridicæ Seniore, insignis
Ecclesiæ Collegiæ ad S. Simeonem Canonico Capitulari &
Bibliothecario, Reverendissimi & Serenissimi Archiepiscopi
Trevir. S. R. I. Principis Electoris Consiliario intimo,
& Examinatore synodali &c.

DEFENDET

PRÆNOBILIS, ORNATISSIMUS, AC PERERUDITUS

D. JOANNES BAPT. MICHAEL HETZRODT,

Consuus, Juris utriusque, nec non S. R. I. publici,
& criminalis auditor.

August. Trevirorum, typis ESCHERMANNIANIS.



EXERCITIUM
JURIDICUM
TENTAMEN PRO GRADIBUS

Oppugnantes

Præ- & Nobiles, Ornatissimi, ac Pereruditi

D. JOANNES THEOD. ALOYSIUS GÖRTZ, Colonienſis,
AA. LL. ac Philoſ. Magiſter, juris utriusque & S. R. I. publici
auditor, exercitatoriâ ad tentamen pro Gradibus functus.

D. FRIDERICUS HAHN, ex Ahlbach Principatûs Naſſovici,
juris utriusque & S. R. I. publici auditor.

D. JOANNES BAPT. MICHAEL HETZRODT,
PERRUDITUS
PRÆNOBILIS, ORNATISSIMUS, AC





EX JURE GENTIUM.

TEXTUS.

Novatione tollitur obligatio: *veluti, si id, quod tibi Sejus debebat, à Titio dari stipulatus sis; nam interventu novæ personæ nova nascitur obligatio, & prima tollitur, translata in posteriorem; adeo, ut INTERDUM, licet POSTERIOR stipulatio INUTILIS sit, tamen PRIMA novationis jure TOLLATUR: veluti, si id, quod tu Titio debes, à pupillo sine tutoris autoritate stipulatus fueris; quo casu res amittitur; nam & prior debitor liberatur, & posterior obligatio nulla est. §. 3. Inst. Quib. mod. toll. obl.*

SCHOLIA.

1. In hypothefi, quod pupillus ita contrahens *nequidem jure gentium, five naturali*, obligaretur *in onus suum*, per rerum naturam contingere non poffet *novatio*; cum alter terminorum non adesset; sed futura effet *condonatio debiti*, utpotè cui nullum illius *novum* debitum surrogaretur.

2. Debet igitur, *etiam post jus civile*, quod posteriorem hanc obligationem annullavit, remanere in pupillo *naturalis obligatio*, quâ non *revius* quidam, sed *ipse*, obligetur; aut sine tutoris autoritate *novari in pupillum* non poterit. l. 1. §. 1. ff. de Novar.

A

3. Quæ

3. *Qua* autem obligatio naturalis? Sanè non integra, & cum suis primis effectibus l. 59. ff. de O. & A. l. 41. ff. de condit. indeb., sed mutila, dantaxat in ordine ad certos juris effectus, eosdemque vel propter alium (liberandum, ut hic, aut obligandum, ut si accedat fidejussor) vel etiam propter pupillum ipsam. l. 25. §. 1. ff. Quando dies legat.

4. Sed hanc naturalem obligationem mutilam ignorat jus gentium, sola lex civilis, rerum & actionum nostrarum domina, ex causis efficit.

EX JURE CANONICO.

Continuatio Tituli XXXVIII. Lib. V. Decretalium.

XXXIX. **A** casibus Papæ reservatis progredior ad Episcopales: Hi à Sæc. XIII. usque ad Sæc. XVI. magno increverant numero. *

* SIFRIDUS III. Archiep. Mog. in Concil. provinc. Fritzlâr. an. 1246. Cap. 4. §. 5. reservavit sibi 21. casus, & his similes: „ Quia in penitentis injungendis quidam „ casus frequenter emergunt, qui etiam dispensationem Episcopalem requirunt, in „ illis casibus ad Episcopum, vel suos Penitentiariorum habeatur recursus, sive oc- „ culi fuerint, sive etiam manifesti; statuitur itaque, quoddam sacerdotem in satis- „ factionibus injungendis majora Penitentiariorum Episcopi reservent, utpotè: 1.) Homi- „ cidia. 2.) Sacrilegia. 3.) Incendia. 4.) Peccata contra naturam. 5.) Conculcitus „ personarum conventualium, præsertim in sacris ordinibus constitutarum. 6.) In- „ cestus, videlicet cum consanguinea, vel affine, compatre, vel comatre, vel cum „ eâ, quæ votum castitatis emisit. 7.) Injectionem manuum in parentes. 8.) Oppres- „ siones parvulorum per negligencias parentum, in igne, in aquâ natos amittentium. „ 9.) Veneficia. 10.) Perjuria solemnia. 11.) Fidei fractiones. 12.) Voro- „ rum transgressores. 13.) Simoniam. 14.) Adulteria. 15.) Hæreses. 16.) „ Apostasias. 17.) Maleficia eorum, qui maleficiunt conjuges, ut non possint coire, „ vel qui procurant sterilitatem mulierum, vel abortum. 18.) Falsarios, qui sigillas „ literas, vel monetas falsificant, falsa instrumenta conscribentes, falsum testimonium „ reddentes. 19.) Blasphematores Dei, & Sanctorum. 20.) Sorrilogos. Ac 21.) „ Majori excommunicatione in hujusmodi peccatis, vel similibus decenter mittant „ sacerdotes ad Episcopos, vel eorum Penitentiariorum, absolvendos; nec absol- „ vant, præterquam in mortis periculo, absque loci Episcopi licentiâ speciali, de- „ clarantes, quoddam illi, quibus hoc committitur, potestatem non habere, illud aliis „ personis committendi. Hartzhem, Concil. German. Tom. III. pag. 572. col. 2. „ Quæ Wernerus Archiep. an. 1261. in Provinciali Moguntino cap. 8. hoc brevilo- „ quio complexus est: „ In satisfactionibus injungendis majoribus majora reservent, „ scilicet horrenda sacrilegia, peccatum contra naturam, incestus virginum, inje- „ ctiones

„ tiones manuum in parentes, & fractiones votorum, & hujusmodi. Ibidem pag. 598. Vid. etiam pag. 649. cap. 15. casus 16. Dioeceseos *Monasteriensis* an. 1279. *reservatos, exemplificativè* positos: pag. 664. *Colonienſes* an. 1281. „ Præcipimus, ut sacerdotes nobis, vel illi, cui vices nostras pro tempore in spiritalibus committimus, *majora peccata, & injunctionem penitentia* pro eisdem, *reservent, ut sunt* 1.) *Homicidia.* 2.) *Sacrilegia.* 3.) *Incendia ecclesiarum.* 4.) *Peccata contra naturam.* 5.) *Defloratio virginum cum violentiâ.* 6.) *Concubitus sanctimonialium, conversarum, inclusarum, vel aliarum mulierum religiosarum.* 7.) *Incestus.* 8.) *Injectiones manuum in parentes, vel ecclesiasticas personas.* 9.) *Sortilegia.* 10.) *Veneficia.* 11.) *Perjuria manifesta.* 12.) *Fidei, & votorum transgressiones.* 13.) *Simonia.* 14.) *Heresis.* 15.) *Apostasia.* & 16.) *Magne blasphemie seriôsè facta:* pag. 687. cap. 4. §. II. *Leodienses* casus 18. de an. 1287. pag. 740. *Vratislavienses* 16., atque inter hos aliquot alii *reservari insolitos, de an. 1290.*

XL. In *Trevirensi* provinciâ *antiquiores* an. 1227. *casus reservatos* (qui quidem sciantur) non habemus; erant autem propositi ab Archiep. *Theodorico* II. 15. sequentes. *

* „ Sacerdotes remittant ad Nos, vel nostrum *Primarium*, peccata graviora, scilicet
 „ 1.) *Homicidia.* 2.) *Sacrilegia, & maxime de Corpore Domini nostri Jesu*
 „ *Christi, de Chrismate, & de Oleo sancto, de Aquâ baptisni, &* 3.) *Perju-*
 „ *ria, &* 4.) *Falsa testimonia, &* 5.) *peccata, que sunt contra naturam.* 6.)
 „ *Simoniam.* 7.) *Incestum monialium, consanguineorum, &* 8.) *Deflorationem*
 „ *virginum,* 9.) *Veneficia* 10.) *Injectiones manuum in parentes.* 11.) *Vota*
 „ *facta.* 12.) *Incendiariorum.* 13.) *Usurarios, etiam &* 14.) *illos, qui parvulos pueros*
 „ *suos opprimunt, etiam* 15.) *In illos, qui pueros suos sine baptismo permittunt.* Conc.
 „ *German.* Tom. III. pag. 528.

XLI. Verùm *Baldwinus* Archiep. in Concilio provinciali, an. 1310. *Treviris* habito, auxit eos usque ad numerum *quadragesimum.* *

* Cap. 78. „ Quoniam circa *majora majus periculum vertitur, idcirco* cautius est
 „ *agendum: inhibemus igitur, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus om-*
 „ *nibus rectoribus, & curatis, & quibuslibet aliis subditis civitatis, diocesis, &*
 „ *provinciæ Trevirensis, confessiones audientibus, ne de casibus Episcopalis,*
 „ *de jure, vel consuetudine ad Nos, & Episcopos pertinentibus, se quomodolibet*
 „ *intromittant. Sed ad Nos, seu Episcopos, & Primarios nostros, illos fideliter*
 „ *remittere curent. Et ne aliquis pretextu ignorantia se in talibus excusare va-*
 „ *leat, aliquos ex illis hinc duximus exprimendos.* 1.) *Quidem mittendi sunt ad*
 „ *Nos votorum violatores, ac post votum castitatis matrimonium contrahentes.* 2.) *Con-*
 „ *trahens etiam aliâ matrimonium, primâ vivente, & religionem nuptiarum,*
 „ *aut sacrum ordinem suscipiens vivitâ uxore propriâ, post carnalem copulam subsecutus.*

- 3.) Confessus, se credidisse hæreticam pravitatem, & se hæreticos accepisse, & cum eis participasse, & eis favisse. 4.) Simoniacus, quocunque genere Simoniacus, præterquam mentalis. 5.) Ab Episcopo alieno sine licentiâ proprii Episcopi ordinatus, vel tonsuratus. 6.) Homicidium faciens, factò, præcepto, consensu, consilio, exhortatione, vel quolibet alio modo. 7.) Concipiens filium à non viro, quem vir, credens suum esse filium, nupit, vel instituire intendit. 8.) Vir, qui in mortem conjugis, vel uxor, que in mortem viri effectualiter machinatur. 9.) Presbyter celebrans scienter in Ecclesiâ, vel Parochiâ interdictâ, & secundas nuptias benedicens. 10.) Clericus, vel Laicus scienter corpus excommunicati, vel etiam in tempore interdicti non excommunicati, in cimiterio benedicto sepeliens. 11.) Excommunicatus à canone in illis casibus, in quibus Episcopus absolvere potest, & etiam irregulares in illis casibus, in quibus Episcopus dispensare potest. 12.) Matri-monium clandestinè contrahentes, & omnes, qui scienter interfunt, qui secundum antiqua Statuta synodalia nostræ provincie excommunicationis vinculo sunt ligati. 13.) Falsarius literarum Apostolicarum, sive Episcopaliû, vel Officialium, sive publicorum Instrumentorum. 14.) Sacerdos scienter celebrans in altari non consecrato, vel sine sacris in divinis celebrans; etiam non jejuans; item non ordinatus in presbyterum Missam celebrans, & non ordinatus in diaconum solemniter, & publicè in ecclesiâ Evangelium legens; & non ordinatus in subdiaconum solemniter, & eum indumentis subdiaconi Epistolam in Missarum solemnibus legens. 15.) Clericus jurans tactis sacrosanctis Evangelis, & perjurans: & quodcumque arbitratum, utrum aliquod sacramentum sit servandum, vel non. 16.) Ubi-cumque etiam solemniter penitentia injungendi: non dicimus hoc de publicâ. 17.) Incendiarius, & effractores ecclesiarum, & domorum ecclesiasticarum, & nocturni depopulatores agrorum, & famosi latrones, qui in itineribus insidiantur. 18.) Per saltum, ali-quo ordine prætermisso, vel etiam furtivè & contra prohibitionem promotus, & rebaptizatus, & reordinatus, & reconfirmatus. 19.) Excommunicatus, suspensus, vel interdictus Missam scienter, vel officium suum solemniter, sicut prius, celebraus, & qui excommunicatus, vel interdictus ordinem, vel beneficium suscepit. 20.) Coiens cum moniali sanctâ, virgine, vel non. 21.) Destrotores virginum, vi oppressæ, vel rapte. 22.) Opprimens, sive perimens protem suam, studiosè, vel negligenter, ante partum, vel post. 23.) Quomodolibet abutens Christianitate, vel Hostiâ, vel aliâ re sacrâ. 24.) Rapinam, vel sacrilegium in ecclesiâ committens. 25.) Scienter baptizans proprium filium, & etiam filium uxoris suæ ex alio viro, vel è converso, præterquam in articulo necessitatis, & tunc aliis defici-entibus; & etiam in Carechismo, vel Confirmatione tenens. 26.) In ecclesiâ maximè consecratâ, luxuriam committens, humanum semen quomodolibet ibidem studiosè emitrens. 27.) Scienter coiens cum Judæâ, Sarracenâ, vel Paganâ, vel è converso. 28.) Verberans patrem, & matrem, vel aliis eis enormes injurias irrogans. 29.) Sorzilegi, divini, malefici, incantatores, augures, aruspices, demones pro quâcumque causâ invocantes, vel similia facientes. 30.) Contrahentes matrimonium post sponsalia cum aliis juramento interposito contracta, illis per Ecclesiam non dissolutis. 31.) Violator ecclesiæ, vel cimiterii. 32.) Peccatum Sodomiticum committens, vel cum brutis commiscens. 33.) Incestum committens cum quibus-

» quibuscuque consanguineis, vel affinitibus. 34.) Sacerdotes, vel ministri, quorum
 » culpa, vel negligentia aliquid inonestum circa Sacramentum Altaris evenerit. 35.)
 » Cognoscens consanguineam uxoris suae, vel sponsae. 36.) Procurans quoquo modo,
 » sive in se, sive in alio, sterilizarem. 37.) Blasphemans publice Deum, vel Ma-
 » iestatem eius, vel Sanctos; & falsum testimonium scienter praesens, & laicus trans-
 » gressor iuramenti, qui tamen post transgressionem satisfecit de eo, quod iuraverat
 » facere, vel observare. 38.) Sacerdos coeuns cum ea, quae quolibet spiritali affini-
 » tate sibi est conjuncta. 39.) Contrahens matrimonium cum ea, quam cognovit
 » per adulterium superstite legitima sua uxore, vel e converso. 40.) Mulier, cu-
 » jus vir diu absuit, & de illius morte certitudo non habetur, contra prohibitionem
 » matrimonii cum alio contrahens, idem e converso. Statuta Concil. Trevir. de an.
 » 1549. cod. an. Colonia excusa fol. XLVII. Histor. Dipl. Trevir. Tom. II. pag.
 » 58., & ex hac, nec non Martene, & Lünig, J. Hartzheim. Concil. Germ. Tom.
 » IV. pag. 147. sub Cap. 93.

XLII. Duraverunt hi 40. casus reservati apud Trevirenses usque
 ad annum 74. Saeculi XVI. * Dum interea aliae Germaniae Pro-
 vinciae, ac Dioceses in minori, quem primitus habuere statu-
 tum, numero perfliterunt; ** aliae vero consimiliter ulteriores
 addiderunt. ***

* Neque enim Synodus Trevir. Diocesana de an. 1548. sub Joanne V. ab Henburg,
 quae ejusdem provinciae de an. 1549. antecessit, vel provincialis haec ipsa, eate-
 nus quidquam immutavit.

** Vid. Hartzheim Concil. Tom. IV. pag. 36. Synodum Diocesanam Herbipolen-
 sem de an. 1298. sub Manigoldo Episcopo casus 21. ponentem, pag. 221 Provinciale
 Moguntinam an. 1310 sub Petro Archiep., inhaerentem casibus supra §. XXXVIII. de-
 scriptis. pag. 343. Concilium Ultrajectinum sub Joanne ab Archel an. 1343, cap.
 3., ubi 19. retenti sunt, quos fixerat quintus ejus praedecessor Quido Comes de
 Hannonia 1317. mortuus. pag. 373. Synodum Eystertensem de an. 1354. sub
 Bertholdo Episc. 17. casibus contento, & Tom. V. pag. 350. Herbipolensem an.
 1446. Concilio Frizlarienti supra relato insistentem. pag. 721. Provinciale Mag-
 deburgensem an. 1383., quae in antiquis mansit cum clausula: in hujusmodi peccatis
 & similibus detentos mittant ad Episcopos.

*** Ibidem Tom. V. pag. 166. Synodus Lubecensis an. 1420. post expressos 17.
 casus addidit: & aliis similibus, seu enormibus; ex qua generali clausula sane in-
 gens multitudo reservatorum ressaltavit. pag. 294. Synodus Wratislaviensis an.
 1446. posuit 39. casus, ferè eosdem cum supra recensitis nostri Balduini: sed alia
 Wratislaviensis de an. 1471. reduxit eos ad 21. pag. 369. Synodus Eystertensis an.
 1480. numeravit 34. pag. 513. Frisingensis an. 1480. 23. cum clausula: nec quom-
 quam

quam alium enormibus criminibus irretitum. Pag. 527. Tornacensis an. 1431. 20. cum clausulâ: & omni peccato his simili, vel graviori. Pag. 566. Constantiensis an. 1433. 41. Pag. 630. Bambergensis an. 1491. 37. Pag. 574. Concilium Provinciale Salzburgense an. 1498. 22. cum clausulâ, ut supra Irisingensis. Pag. 667. Synodus Parmiensis in Polonica Borussia casus 13. expressit addito: ubique est arduum, seu grave factum. In Tomo VI. pag. 28. Basileensis de an. 1503. reservavit 30. casus cum subjunctâ declaratione: supra nominatos casus nobis ipsis, & nostro in Penitentialibus Vicario (hic solitus fuit vocari Penitentiarius major, jamdiu aute Tridentinum notus, ut observavit Dufresne verbo: Penitentiarius) referamus: parari tamen erimus, ipsis Religiosis presentatis, & Decanis, aut aliis NON-NULLIS curatis, DOCTORIBUS, & MAGIS EXPERTIS (non passim cuilibet petenti) nostram quoque facultatem in illis impetiri. Pag. 110. Ratisbonensis de an. 1512. enumeratis casibus papæ reservatis subjungit 33. Episcopales, declarando, quodd sub concessione potestatis absolvendi à reservatis generali, non intelligantur violenta manuum injectio in parentes, violatio ecclesiasticæ libertatis, hæresis, blasphemia publica, Simonia, usura publica, perjuria, notorius clericorum concubinaris, vagæ restitutiones ubi certi & legitimi hæredes non existunt, testamenta non executâ, decentio bonorum ecclesiæ, ac decedentium clericorum: ex quo firmatur, quod retrò dixi §. xxxi. in not. Pag. 155. Tornacensis an. 1520. reservavit Episcopo, & majorem ab hoc auctoritatem habentibus 21. casus, & his similes graves, Decanis Christianitatum 13. peccata, & his similia, ac inferiora, Reservatis autem parochialium ecclesiarum concessit potestatem à minoribus 10. casibus: iteratum exemplum contra promiscuè dandam potestatem absolvendi ab hisce casibus, utpote quorum aut nullæ sient reservationes, aut exerebantur ad finem, propter quem fiunt.

XLIII. Displicuit hic Episcoporum exuberans modus, atrociora crimina occulta compefcendi, Ecclesiæ * & Universitatis Parisiensis Cancellario, Magist. Joanni Chavlier de Gerson, ** Sorbonæ summâ, etiam apud exteros, auctoritate Doctori Theologo, qui magno honore interfuit Conciliis, Pisano, & Constantiensi, generalibus, perorans, & scribens, postremi velut anima & lingua;

* Hunc titulum eribuit ei epitaphium Lugduni in circumferentiâ sepulchri:
Magnum parva tenet virtutibus urna Joannem
Præcelsum meritis, Gerson cognomine dictum:
Parisius sacre Professor Theologiæ
Claruit: ecclesiæ qui cancellarius anno
Milleno Domini centum quater, atque vigeno
Nono luce petit Superos Julii duodenâ.

** Opp. part. 2. Edit. Argentorat. an. 1514. Tract. 33. lit. O. scripsit Epistolam ad quendam Episcopum super moderatione casuum reservandorum in foro penitentiæ sine

sine die, consule, loco, & nomine; quam totam edo, sciens, negligi in Ger-
 mania scholis passim, & allegationem, & inspectionem Gersoniorum operum,
 eoque magis eorundem commendationem. „ Pontificali dignitati suus qualiscun-
 que zelator: *clavibus benè uti* (hæc salutationis formulâ imitatur Iovem, & alios
 veteres) „ *Pastoralis auctoritas* in casibus reservandis *quoad forum conscientie*, sicut
 & alia qualibet potestas, data est Prælati in *edificatione ecclesie*, sicut dicit Apo-
 stolus (id ipsum in eadem materiâ monuit postea Concilium Trid. Sess. 14. cap.
 7.) „ & in favorem populi Christiani *pro salute, non pro questu* (quod inultum
 tunc videret viguisse, nunc pridem exulat) „ aut simili commodo consequendo.
 „ Constat autem *certissime* per plures expertos in confessionibus audiendis *tempore*
 „ *istò*, quod *reservatio stricta* quorundam casuum, *presertim in gravioribus*, & oc-
 „ *cultis speciebus peccati carnalis*, retrahit innumeros à confessione talium peccatorum,
 „ sicut sunt pueri, & puella, & mulieres verecundissimæ, & *rurales idiotæ*, à qui-
 „ bus vix potest exorari confessio talium peccatorum, quantumcumque Confessor sit
 „ sollicitus, humilis, morosus, & discretus: Quod si remittantur *ad Prælatum*,
 „ vel *Penitentiarium de longinquo*, vel *in publico*, refugiant, & horrent. *Exper-*
 „ *tanque est miles, quod non vadunt*. Sed nec *ducenti, nec trecenti, imò nec mille*
 „ *sufficerent* aliquando in unâ diocesi *ad tales casus plene audiendos absolvendosque*.
 „ Denique quid prodest, & certè obest plurimum, *addere verecundiam super ve-*
 „ *recundiam, onera gravia super onera, & difficultatem confitendi talia peccata super*
 „ *difficultatem*, quæ tanta est, ut vix credi possit. *Et hoc præcipuè, quando pec-*
 „ *catum secretum est, & tale, quod auctor perpetuè oclabit ipsum, si velit*, ut nec
 „ Episcopus, nec alius inde punitionem, vel notitiam inveniat. Si diceret: ta-
 „ lis si non revelabit, damnabitur; fatemur quidem, sed obviandum esset huic
 „ damnationi modis omnibus potius, quàm addenda sit occasio: nunquid *requi-*
 „ *ritur sanguinis locus*, i. e. damnatio, ab illis, qui occasionem dederunt, præci-
 „ puè *Prælati majoribus*? Sic certè & ipsi satisfaciant pro isto usque ad ul-
 „ tum quadrantem; cum sint *Prælati ad salvandum gregem Domini positi, & pas-*
 „ *centium, non occidendum*, aut scandalifandum. *Expertum est itaque, quod hic*
 „ *terror reservationis nullos, aut paucissimos cohibet sic peccare, innumeros autem sic*
 „ *retrahit confiteri*, propter dictas causas, & etiam alias; quoniam *mulieres præci-*
 „ *puè tali modo revelantur, primum timeutes notari à maritis, cum tales confessio-*
 „ *res adeant, qui cum zelotypi sint, statim sinistra contra uxores suas fumerent*
 „ *occasionem; unde surgerent jurgia, lites, discordia, & amoris interruptio,*
 „ *cætera, quæ pejora procurarent, mala, utinam non sæpius mortes, secundò,*
 „ *quia sæpius à talibus confessoribus exactionantur in dando pecuniam certam, aut*
 „ *similia; vel injunguntur penitentia publicæ; unde iterum à suis maritis notarentur*
 „ *(hoc dudum cessat)* „ Tertio, quia *verecunda non audeant confiteri magno*
 „ *Prælato, aut famoso Doctore*, sicut benè aliis, *salvo illo, quod sit bonus, & ido-*
 „ *neus*. Et plures causas tales aliquantulum æstimandæ sunt, & similes, præcipuè
 „ si aliquis incidisset casum *Episcopalem idcirco, quia nocuisset Episcopo suo, vel*
 „ *ecclesie suæ*: quomodò iste induceretur ad confitendum Episcopo, aut suo cog-
 „ nito Vicario? aut fortè quis considerans, *questum pecuniam fore apud Confes-*
 „ *sores*

„ *sores tales, UT FIT COMMUNITER*; unde scandalifatus se à confessione
 „ retrahit: & mille talia, quæ innumeros retrahunt à confessione. *Et hoc intelli-*
 „ *gendum de peccatis occultis*: scèdus est *in peccatis publicis quibuscunque*; talia sola
 „ *secundùm quosdam Doctores olim jura condita reservabant*. . . Provideat igitur
 „ deinceps sollicitudo tua pia, & pontificalis dignitas; noli claudere regnum Dei;
 „ cave onera gravis cervicibus debilibus, & casuris alligare *talium casuum occulto-*
 „ *rum reservatione*, quæ, præ dolor, vix veniunt ad confessores quoscunque, li-
 „ cet celeberrimi sint. Postremò si non placet, *casus omnes occultos* (quia de pub-
 „ *licis non loquimur*) relinquere *passim cuilibet confessori*, & pro omni *atate con-*
 „ *scientium*, saltem hoc expedire videtur primò, quòd nullus casus judicaretur esse
 „ *reservatus quoad confitentes minores, sive qui non compleverunt decimum quartum*
 „ *annum*; quia non habent perfectum usum rationis, nec facilliter resistunt tenta-
 „ *tionibus suis, vel malitiis alienis, nec leviter audent coram personis aurenticis,*
 „ & extraneis comparere, quanto minùs non audent de tam pudendis confiteri?
 „ Consulendum est insuper *verecundia etiam parentum, si crebrò, vel publicè*
 „ *vel de longinquo, ad poenitentiarios mitterentur*. *Et expedit denique facilliter,*
 „ & citò relinquere potestatem super *occulis casibus Curatis, & ordinariis, & gene-*
 „ *raltiter omnibus, qui bonâ fide voluerint, & sciverint proficere animalis, non ad*
 „ *questum vel subversionem*: imò tales diligenter inquirendi essent, & inducendi,
 „ & rogandi ad laudem Dei, & salutem populi confessores, & prædicatores per
 „ *condescensionem bonitatis, in hoc tempore pessimo, quando nimis experimur heu*
 „ *illud Genesis: Corruperas omnis caro viam suam; hinc horrendum est ubique fla-*
 „ *gitorum naufragium, in quo salvat arca poenitentia, cujus arca introitum ideo*
 „ *plùs expedit ampliare, quia nimia arctitudo sua prohibeat eos, qui ad ingre-*
 „ *diendum allici, imò juxta parabolam Evangelicam quasi compelli debuerunt &c.*
 „ *Et in tractatu 41., seu sermone factò in Cœnâ Domini lit. G. sic peroravit Gerson:*
 „ *Dicunt aliqui, quòd jura nunquam voluerunt reservare peccata aliqua, nisi pub-*
 „ *lica, ad terrorem aliorum. Una mollities reservabitur, adulterium mulierum,*
 „ *peccatum sacerdotum concubinariorum. Si Prælati omnes attenderint profundè,*
 „ *quanta est difficultas, quantum onus dicere peccata sua secreta, etiam mi, ipsi*
 „ *credo firmiter, nunquam tale jugum imponderent leviter cervicibus subditi-*
 „ *orum, unde innumerabiles præcipitantur in infernum: mille Poenitentiarii*
 „ *non sufficerent in hac hebdomada pro consultoribus reservatorum: cognovi*
 „ *plures, qui per biennium, vel triennium vix potuerunt induci ad con-*
 „ *fitendum quadam suorum peccatorum: qualiter ergò talia disissent uni Prælato,*
 „ *vel Poenitentiario? præsertim pueri, & puella, & mulieres verecundissimæ.*
 „ *Dici non potest, quantus est in pudore tyrannus: credentes reverere subditos oc-*
 „ *cidunt, & demergunt tacentes in infernum.*

Priùs verò, nempè *Tract. 33. lit. N. sub Datâ Lugduni 33. Mart. 1422.* dederat
 Gerson sequentes propositiones:

I.) „ *Expedit, viam poenitentia per claves ecclesiasticas nec nimis aperiri pro contemp-*
 „ *tu, nec improbè coarctari sine fructu.*

2.)

- 2.) „ Videndum est præcipuè de potestate *CURATORUM*... qualiter sit, & qualiter
 „ non limitanda; juxta qualitates temporum, & locorum, & multiplicationem trans-
 „ gressionum, & possibilitatem remediorum.
- 3.) „ Omnis casus, qui non invenitur à Curatis remotus, censendus est eis con-
 „ cessus in foro conscientie respectu subditorum.
- 4.) „ Omnis casus, cujus reservatio ad Superiorem vel non deceret, vel non expe-
 „ ditur, Curatis est relinquendus.
- 5.) „ Omnis casus pure secretus, nec scandalosus proximum, relinquendus videtur
 „ esse Curatis, præsertim, ubi non est spes majoris, imò deterioris, effectus, ut,
 „ quia peccator nunquam irret ad Prælatum, nec fortè noto cuidam (proût sapè
 „ fit) auderet confiteri.
- 6.) „ Omnis casus excommunicationis lata sententia per hominem in banc, vel illam
 „ personam publicè potest à Curatis rationabiliter reservari.
- 7.) „ Casus excommunicationis lata sententia per jura, vel hominem, & hoc sub quâ-
 „ dam generalitate, nullâ personâ nominatâ, videntur posse concedi Curatis, ut
 „ absolvant, cum injunctâ satisfactione faciendâ, quantum jura permittunt, &
 „ quies reipublice cum Cleri privilegio pati potest.
- 8.) „ Casus carnalium lapsuum, præsertim in sexu muliebri, ac puerili, qui secreti
 „ sunt, videntur Curatis dimitendi, sub terrore futuri judicii, comminatione bru-
 „ totum exceptâ, si non desperatio timeatur in remittendo.
- 9.) „ Casus votorum communitium, & sapè stultorum, cum absolutione de præteritis,
 „ & comminatione pro futuris, videntur Curatis relinquendi; maximè, si sint se-
 „ creti, & si palàm invidetur, aut modicum fructuosi.
- 10.) „ Casus restitutionum inexactarum, ac modici pretii possunt Curatis dimitti; secus
 „ in certis, secus in magnis pretiis, secus in defraudationibus notorii, & scanda-
 „ losis, & usuris.
- 11.) „ Casus hæresium occultarum, & mentalium: casus similiter blasphemiarum levi
 „ motu in a prolatarum: casus perjuratorum quotidianorum, non judicialium: Casus
 „ sortilegiorum sine horrore, ac læsione proximorum, ac sacrorum abusione: casus
 „ sacrilegii parvi: casus offensionis parentum sine læsione enormitate, possunt Cura-
 „ tis dimitti.
- 12.) „ Casus abortuum, vel in ventre, vel extra, qui veniunt omnino præter intentio-
 „ nem parentum, dimitendi sunt Curatis, maximè si sint secreti, nec proximos
 „ scandalosant; quoniam pro talibus nullo modo danda est poenitentia gravis, præ-
 „ sertim publica, quæ non pia, sed crudelis, ut loquimur, est censenda; nec ex-
 „ cusata, sed accusat hoc loco dicere, quòd datur ad terrorem aliorum.
- 13.) „ Casus, habentes in Decretis Patrum suas poenitentias limitatas, non sunt prop-
 „ terea sic semper, imò nec frequenter observandi per Curatos in absolutione con-
 „ ferendâ, quando secreti sunt; secus de publicis: oportet certè, ut poenitentia
 „ sint pro circumstantiis arbitraria; tunc quoque, dimittere poenitentem ire in pur-
 „ gatorium cum parvâ poenitentia, quam hic implere vult, quàm cum maguâ, non
 „ implendâ, ducere in infernum: verbum est memoriale Guilhelmi Parisiensis.
- 14.) „ Casus enormes publici, & scandalosi tam Ecclesie toti, quàm proximis locis,
 „ & vicinis, possunt utique majoribus Prælatis reservari.

Hæc eo sine largiùs huc transtulì, tum ut his, quibus non est copia *Gerfonis*, otiùve illum evolvendi, *collatis*, quæ ab eo in hanc materiam scripta sunt, *cunctis*, vera mens, bonùsque spiritus authoris pateat, tum ut serviant contra excessum in reservando.

XLIV. *Paulus Sarpìus*, Servita Venetus, qui Sæc. XVII. sub larvâ *Petri Suavis* Historiam Concilii Tridentini, à S. Congregatione Indicis confixam, edidit, *lib. 4.* sub an. 1551., scribit, Theologos *Lovanienses*, & *Colonienses* se interposuisse Decreto, & Canoni Tridentino Sess. 14. de casibus reservatis, idque pro honorarium celeberrimum Theologorum, nempe *Duranti* à *S. Porciano*, Episcopi Meldensis Sæc. XIV., *Gerfonis* prælaudati, & utroque junioris, *Thomæ de Vio*, Episcopi Cajetani & Cardinalis Sæc. XVI., ut qui reservationes casuum suo calamo improbassent, proindèque per istud Decretum, & Canonem notandi forent hæretici. * Redarguit *Sarpium* Cardin. *Sfortia Pallavicinus*; & mèvitò, si falsum commentus fuerit de *Lovaniensibus*, & *Coloniensibus*, per hos dolosè surrogatos sensum animi sui proferens; non sic autem, si retulisset *Sarpium* verè eorundem facta monita, quamvis erronea, aut, si falsâ narratione deceptus, incautè illa accepisset pro verè factis. **

* Historia del Concilio Trid. edit. 4. de an. 1660. pag. 377. „ I Theologi di Le
 „ vanio opposero al particolare della riservatione de' casi, che non era cosa di tanta
 „ chiarezza: perche non s'havrebbe trovato, che Padre alcuno mai di ciò havesse
 „ parlato; & che *Durando*, che fu Penitenciero, & *Gerfon*, & *Gairano*, tutti
 „ affermano, che non peccati, ma censure, sono riservate al Papa, & per tanto
 „ troppa rigida cosa haver per heretico, chi sentisse altrimenti. Nel che havevano
 „ congiunti seco i Theologi di Colonia, i quali chiaramente dicevano, che non
 „ s'harebbe trovato alcun'antico, che parlasse, se non di riservatione de' peccati
 „ publici: & che il condannar il Cancellario *Parisiense*, tanto pio & cattolico scrit-
 „ tore, che biasimava le reserve, non era condecente. Che gli heretici solevano
 „ dire, queste riserve esser per ucellar danari, come anco disse il Cardinal *Cam-*
 „ peggio nella sua Riforma, & che s'egli dava occasione di scrivere contra; alche
 „ i Theologi non havrebbero risposto, ne potuto rispondere: Et per tanto
 „ doverfi moderar, così la dottrina, come il canone, in maniera, che non dia scam-
 „ dolo, & non offenda alcun cattolico.

** Car-

** Cardinalis Pallavicinus rectè replicavit, nihil tale scripsisse *Duranum*, *Gersone*, *Cajetanum*, aliòsve Catholicos viros, ex quo impugnaretur *reservandi potestas*; id quod hæreticorum esset. Sed cur fratrem *Paulum* (cujus tamen advocatus non ero in cæteris, neque etiam in præsentis penitens) accusat, *mentitum esse*, & quidem, de Cardinali *Campeggio*, *perfrickâ fronte?* Non dixit hoc *ex se loquens Sarpinus*; induxit loquentes Theologos *Lovanenses*, & *Colonienses*: unde convincitur, quòd isti hoc non monuerint? Sane non *ex silentio actorum* hujus sessionis, nisi, prius editis cunctis Concilii actis, cerèd constet, omnia Theologorum quorumcunque, sive in congregationibus, sive in sessionibus dicta, prolata, & monita exactè fuisse amodata, nihil eorum penitus omissum: non igitur probavit mendaciam, aut etiam *duxerat falsum*, Pallavicinus loc. cit. num. 2. sic ponens: *de his, ac de reliquis, quæ Suavis COMMINISCITUR, referens disputationes super hujusce sessionis Decretis, nullum in actis indicium; sed solum habetur, ABBATES Cassinates MONUISSE, hæc de re varia esse opinamenta; posse jure peccata reservari, sed PARCE id agendum, & OMNINO ABSQUE ULLA SOLUTIONE PECUNIÆ*; per hoc non probatur, quòd ipse *Suavis* sit *verus* illorum obsectorum auctor, ut eum per calorem vocat *Pallavicinus*. Licet verò *Sarpinus* nec mendacii, nec commenti eatendus & per hoc, vel etiam per subjunctas antigraphi sui præsumptiones, sit convictus; reprehensibilis tamen mihi videtur fuisse, mericòque à suo Antagonistâ reprehensus ex eo, quòd contra Decretum, & Canonem Concilii generalis allegaverit graviores autoritates Catholicorum, *Duranti*, *Gersoni*, *Cajetani*, *Lovanensium*, & *Coloniensium*, non monito indocto lectore suæ vernaculæ, priores esse à posterioribus *perperam adductos*. Hoc à Veneto Theologo, etiam si vera de oppositione *Lovanensium*, & *Coloniensium* protulisset, tam reverentia erga Concilium generale, quàm charitas proximi, per autoritates quascunque in suâ fide non turbandi, exegissent, ab eo, inquam, qui scire, cum esset reipublicæ Theologus, debuit, erraturos fuisse illos, si hoc de tantis Theologis verè dixissent; cum hi tamen summo Pontifici, & Episcopis, *non potestatis*, sed his *unicè prudens œconomia quæstionem* moverint, ne laquei animabus injicerentur.

XLV. Cùm *Gerson* parùm exaudiretur, atque per totum sæculum XV. usque ad *M. Lutberi* tempora invalescerent Episcoporum reservati casus; intercesserunt *Principes*, & *Status sæculares Imperii nosstri* in Comitibus *Norimbergenfibus*, an. 1522. inchoatis, an. 1523. finitis, atque inter 100. gravamina hoc LXXIV., satis modestè ac discretè concinnatum, proposuerunt. *

* Rubrum est: *Quam iniquè homicidæ, aliique peccatores ab ecclesiasticis iudicibus DUPLICI afficiantur POENA*. Nigrum verò: „ Quam divina, humanaque jura vetent, ut nemo *duabus* cædi debeat *virgis*, merito plerique, quibus cerebrum est, *nonnullarum Ecclesiarum Cathedralium odiosa statuta*, perverfosque mores,

„ mores, quibus utriusque sexus homicidas, reliquisque majorum minorumque crimi-
 „ minum reos hucusque vexarunt, detestantur. Nam hactenus servata est consue-
 „ tudo, quod homicidii, similitumque facinorum (quos casus Episcopi reservatos
 „ vocant) rei, peracti in aures confessione, publicam poenitentiam in totius populi
 „ conspectu, cum magno suorum ipsorum dedecore, ignominia, infamia subire
 „ cogantur; quæ quidem poenitentia forma non usquequaque improbanda foret, ut
 „ potest quæ ad primitivæ Ecclesiæ instituta quam proximè accederet, si, hæc contenti,
 „ non etiam ampliores justo peccantibus egregii illi, malæque officiosi Officiales
 „ excorquerent pecunie summam (ecce factum avaritiæ, de quo supra Gerson, &
 „ alii) „ ac duplici delinquentes punirent poenâ. Quæ re miram, quam multi offen-
 „ dantur. Quod quam iniquum, quamque longè à Christi instituto sit alienum,
 „ cuique sana mentis conjecturâ assequendam relinquatur.

XLVI. Sublevare onus studuit Clementis VII. Pontificis Legatus à
 latere Laurentius Campeggius Cardinalis an. 1524. Ratisbonæ in
 particulari conventu cum Ferdinando, Imperatoris Locumtenente
 generali, postea Imperatore huius nominis I., nec non cum Ar-
 chiépiscopo Salisburgensi Matthæo, pariter Cardinali, multisque
 Principibus, & Episcopis Germaniæ celebrato, inter alia salubria
 appositè ad præmemoratum gravaverit, ita constituens. *

* Statuto IX. „ Pone, ne & ipsi videantur pecunie aucupium magis, quam salutis
 „ animarum studium, amplecti, dum laicos, graviora delicta confessos, hinc inde
 „ remittunt, non sine fama rerumque dispensio; constituimus, & ordinavimus
 „ ut deinceps quilibet confessor absolvere possit laicos à quibuscunque peccatis occultis
 „ quantumcunque gravibus, & enormibus, quæ Ordinarii suæ auctoritati reservæ
 „ verant, exceptis dumtaxat homicidis, hæreticis, & excommunicatis, ad Episco-
 „ pum, vel ejus Vicarium, remittendis. Quod autem ad Clericos, nihil quoad
 „ hoc statutum intelligitur innovatum. Pro condonatione autem, & remissione pec-
 „ catorum, quam absolutionem vocant, nihil omnino ab invito exigant.

Hæc bona lex nata est, ut habet proverbium, ex malo ejus temporis more, pro-
 indeque Pallavicinus omittere potuisset, quæ ulteriora in Sarpium, Lovanien-
 atque Colonien-
 „ sium loquentes inducentem, loc. cit. num. 4. scripsit: „ Porro hære-
 „ ticorum calumnia, quæ peccata referuntur ad pecuniarium aucupium, tantum ab-
 „ erat, quod dilui non possent, pro eo, quod Suavis comminiscitur pronuntiationem à
 „ linguis adeo prudentibus, ut ille facili negotio evanesceret per iurisdictionem,
 „ nequis quidquam pretii persolveret, ut absolutionem à reservatis criminibus
 „ impetraret, perinde ut à Campeggio in suis de disciplina sanctionibus verum est,
 „ qui nunquam dixit, ad pecuniarum aucupium peccata reservari, sicuti Suavis
 „ pro certo ponit; sed in capite nono, ut sacerdotibus confessiones excipientibus
 „ oculu-

occluderetur via ad studendum pecuniarum potius, quam animarum lacris, dum
 gravium nozarum roos huc illuc magno pecunie, famaque dispendio mitterent,
 statuit, ut omnibus confessoribus liceret inicos absolvere à delictis Episcopo reservatis,
 exceptis hæreticis, homicidis, & anathemate percussis, nullâ tamen de clericis mu-
 ratione habitâ, prohibitaque, ne absolutionis gratiâ quidquam, præter volonta-
 riam elemosinam, acciperetur. Jam verò si scriptor hic de Campeggii libello,
 per typos vulgato, & inter Concilia generalia ac provincialia inferro, auctus est
 iam perscriptâ fronte mentiri, ipsâque mendacium linguis tantæ autoritatis
 appingere; ab conceptam ab eo spem, plerosque lectores rei veritatem minime in-
 dagaturos; quam ab eodem fidem servari credendum est in monumentis abditis, &
 arcanis? Declamatio ista nimis mihi videtur tonuisse; cum & certum sit, à
 Cardin. Campeggio abasam pecuniarum lucris, cujus quoque Gerson (nec soli hære-
 tici) memoriam nobis reliquit, quâsumque in reservationes, bono fine inventas,
 irrepsisse, conquisitus est, exterminari voluisse, & insolens, vel imprudens, aut
 leviter credens, vel etiam studiosè (quod tamen pro certo non scire) fallens
 Frater Paulus patris remitti potuisset, fidem sibi alleganti, nec probanti, quod
 tallia sive Lovanienses, sive Colonienfes Theologi obmovissent Decreto illi, & Ca-
 noni, hæcenus non fore habendam. Ad hæc Pallavicinus falsum affinxit Sarpio;
 neque enim iste loc, cit, sive in sua sive in alienâ Casbeticâ personâ dixit, quod
 peccata RESERVANTUR ad pecuniarium aucupium, imò nequidem, quod hære-
 tici solerent hoc dicere: hoc enim non exigit itale lingua vis ac potestas: quæste vi-
 serve ESSER per cellarum danari, nisi verbo esser appositis participiis facte, vel in-
 ventate; atque contenta erit illa locutio hæc versione: istas reservationes esse ad au-
 cupandum denarios, i. e. huic aucupio servire; nam & si dicam, festa esse ad
 orandum & percutiendum, non intendo dicere, quod sint hunc in finem instituta;
 non in Prælatos reservantes, sed in eorum ministros, directus fuit olim clamor
 publicus contra hoc genus aucupii: Prælatorum intentio bona fuit semper, mi-
 nistrorum verò abusus sæpè rei bonæ nocuerunt: malè igitur prædictum italicum
 sic verit in gallicum Lecourayer: que cette reserve de cas n'estoit qu'une ruse inventée
 pour attraper de l'argent.

XLVII. Card. Campeggio morem gesserunt nonnulli Germaniæ Ar-
 chi- & Episcopi; * alii verò retinuerunt casuum reservatorum
 multitudinem, ut supra jam dixi de Archiep. Trevir. Joanne V.

* Laudat Benedictus XIV. lib. 5. de Synodo diœc. cap. 5. num. 3. Cardinali Campeggio
 obsequentes, Archiep. Colon. in suo Concilio provinciali anni 1536. part. 7. cap.
 37., & Synodum diœcesanam Augustanam anni 1548. sub Episcopo Orono Car-
 din.; qui quidem Art. XIX. de verbo ad verbum assumit ordinationem Campeg-
 gianam; hujus autem nomen reticens, suâ in personâ dixit: statimus & ordi-
 namus &c. Eisdem casus duntaxat mansisse sub Episcopis August. Marquardo, &
 Henrico usque huc, testatur Euseb. Amor. de Pœnit. disp. 9. pag. 403. & seq.
 Aliâ verò moderatione Archiep. Colon. Hermannus V. loc. cit. eandem sic imitatus
 est:

est: „ In occultis delictis ex reservatione casuum compertum habemus, nonnihil mali
 „ interdum accidere, vel quoddam peccator, non habens in promptu sacerdotem, qui
 „ illum absolvat, confiteri vel differre, vel contemnere, vel quoddam, qui minores reate
 „ sunt, vel mulieres, difficile adducuntur, ut ex suis parochiis non sine levi suspici-
 „ one ad Nos, seu Commissarios nostros proficiscantur. Quare, ut consulantur &
 „ verecundia & fama, visum Nobis est, hanc potestatem nostram absolvendi à pec-
 „ caris, & casibus nostrae absolutioni reservatis (occultis tamen) omnibus PARO-
 „ CHIS per diocesim nostram constitutis, rite vocatis, delegare, modò tamen Vica-
 „ riorum nostrorum in Pontificalibus consilium requirant, ac adhibeant: Nostriis
 „ tamen Suffraganeis potestatem facientes, aliter in diocesibus suis, uti consilium
 „ videbitur, super hac re ordinandi. Secutus videtur esse Hermannus consilium
 „ Gersonis supra relatum. Hoc ipsum nihilominùs Adolphus Archiep. Colon. an.
 „ 1549. in alià Synodo provinciali restringendo sic immutavit: „ Ut conscientiis
 „ scrupulosis consulatur, ac facilius pateat omnibus ad veniam & absolutionem
 „ peccatorum aditus, ordinamus nostros in hac diocesi Pœnitentiarios, qui faculta-
 „ tem habeant, sibi confessos ab omnibus casibus, Nobis de jure, vel per Statuta
 „ Synodalia reservatis, in foro conscientiae absolvendi; inprimis Reverendum Cy-
 „ renensem Episcopum, nostrum in Pontificalibus Vicarium, deinde Metropolitanam
 „ Ecclesia nostrae Presbyteros, Canonicos, Theologos. 3.) Omnes quoque, inter quos
 „ & exeranos, Collegiorum, & ruralium pastorum Decanos, & 4.) Quatuor
 „ primarum parochialium ecclesiarum in Colonia Pastores, scilicet S. Martini, Co-
 „ lumbe, Laurentii, & Albani. 5.) Priores quoque quatuor Ordinum predicantium,
 „ & præterea 6.) ibi personaliter nominatos viros, unum ex ordine Predi-
 „ catorum, unum ex ordine Carmelitarum, unum ex ordine Augustinensium, præter
 „ 4. Clericos in Ecclesia majore ibidem nominatim designatos.

Propiùs econtra eod. an. 1549. Campeggii Cardin. ordinata adoptavit in Synodo pro-
 „ vinciali Mog. Archiep. Sebastianus ab Heusenstam cap. 26. de reservatione casuum
 „ relaxatâ. „ Ne autem propter casus reservatos à salutari confessionis remedio
 „ homines retrahantur, dum vel in promptu sacerdotem non inveniunt, qui eos
 „ absolvere possit, vel etiam sanæ suæ, & sumptui timent, si longiùs pro abso-
 „ lutione obtentâ ablegentur; Nos, pudori simul subditorum nostrorum consu-
 „ lere volentes, præfenti decreto ordinamus & constituimus, ut deinceps omnes
 „ parochi, per provinciam nostram rite ordinati & vocati, omnièque fratres men-
 „ dicantes, per suos Superiores, ut præmittitur, presentati, & per Commissarios
 „ nostros approbati, potestatem habeant, vice, & nomine nostro absolvendi laicos,
 „ contritos & confessos, à quibuscunque peccatis occultis, quantumvis gravibus, &
 „ enormibus, qui alioqui auctoritati nostrae ordinariæ reservari debent, exceptis
 „ duntaxat homicidiis, hæreticis, & excommunicatis, ad Nos, vel ad Commissarios
 „ nostros mittendis.

Ex hac varietate (ut alia cœva omittam) apparet satis Episcoporum Germaniæ li-
 „ bertas in adoptandis, vel non, Decretis Legati à latere quoad casuum reserva-
 „ tionem.



XLVIII. Successit autem Concilii Tridentini Sessio XIV. sub Julio III. P. M. 25. Nov. 1551., in qua Patres, firmato dogmate de potestate casus reservandi, non alligârunt Episcopos ad ullam speciem peccati, multò minùs ad sola publica, & notoria, * vel quæ annexam haberent excommunicationem; nec eis præscripserunt communicationem potestatis absolvendi, cuilibet parochio vel curato faciendam; sed moderantes regulas dederunt: 1.) Ut reservationes istæ fiant in ædificationem, non in destructionem. 2.) Ut, sicut in Ecclesiâ Dei semper fuerat piè custoditum, nulla sit reservatio in articulo mortis; 3.) Extra quem, Sacerdotes, cùm NIHL possint in casibus reservatis, ** id unum penitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.

* Rectè perpendisse literam decreti Tridentini Thomassum V. & N. D. E. part. 1. lib. 2. cap. 14. num. 8., docet Benedictus XIV. lib. 5. de Synod. cap. 5. num. 4.; quoniam Concilium, novis præfidiis mutans Episcoporum jurisdictionem ad casus reservandos, illam non coarctavit ad publica, sed ad atrociora, & graviora crimina, qualia esse, & dici possunt etiam occulta.

** NIHL, inquit S. Synodus, POSSUNT Sacerdotes in casibus reservatis. Quî nihil potest, is neque directè, neque indirectè aliquid potest: hinc non capio doctrinam, quâ ad questionem: quid agendum confessario, non habenti potestatem absolvendi à casibus reservatis, si penitens offerat casum reservatum? sic respondent: si absolutio differri nequeat ob periculum infamie, aut scandali, vel animæ, confiteatur penitens omnia peccata, tam reservata, quàm non reservata, atque ab iis absolvatur cum intentione, penitentem absolvendi directè à peccatis non reservatis, indirectè verd, seu ob connexionem, à reservato peccato, inuncto simul onere, se sistendi Superiori. Vellem scire, à quâ publicâ autoritate isti docentes habeant suam hoc directè, & indirectè, & quàm sit doctrina hæc antiqua? Sanè unum peccatum sine altero remitti sacramentaliter non potest; ergo qui remittere vult peccata contentis, is omnia hujus peccata sub expeditâ absolutionis potestate habere debet, ne nihil efficiat in toto, individuum causam habente. Si igitur (extra mortis articulum, qui solus legitur exceptus) à contentente ejusmodi differri non posset e. g. celebratio Missæ, Paschalis Communio, aut matrimonialis copulatio, constitutus is esset, in casu deficientis copia confessarii, deberetque se potius gerere juxta normam Concilii Tridentini Sess. 13. cap. 7.

Addi-

Additio. Nec probo 1.) quod Melchior Canus Relect. de ponit. par. 6. conel. 3.
 pag. m. 104. docet: „ Si non pateat aditus ad Superiorem, videlicet, quia Episcopus
 „ copus est absens, & instat necessitas celebrandi, vel si quis religiosus iter agat
 „ sine facultate recipiendi absolutionem à casibus reservatis, tunc inferior potest ab-
 „ solvere à non reservatis, & pro reliquis peccator expectare absolutionem Superio-
 „ ris; excipit autem, nisi peccato sit adiuncta excommunicatio; & adducit opinionem
 „ aled existimantem, quòd hoc casu penitens nequidem teneretur peccata reservata isti
 „ sacerdoti confiteri, quam tamen in resolutione non sequitur; quoniam Theologus
 „ non liceat sine gravi causâ nova placita cudere contra communem sententiam. Nec
 „ probo 2.) quòd, vice inversâ, ante Melch. Canum docuit J. Gerson tract. 33.
 „ lit. N. in fin. Casus reservari Prælati possunt audiri per eos, aut eorum Vicarios, &
 „ absolvi; dum tamen penitentes bonâ fide proponant reliqua confiteri suis habentibus po-
 „ testatem, imò quòd libenter omnia confiterentur uni & eidem, si similiter idem con-
 „ fessor vel velle vel posset absolvere; tunc enim est unitas confessionis ex bona fide,
 „ quamvis esse videatur diversitas in confessoribus ex tempore, vel actione. Quod ip-
 „ sum Gerson inferius Tract. 41. lit. G. Sermonis ad Clerum in Cœnâ Domini tibe-
 „ rius explicavit: „ Sed dicamus ad id, quod queritur, qualiter se habeat peccator
 „ „ habens casus reservatos? Hæc est certa conclusio: quòd si habeat talem sacerdo-
 „ „ tem, qui possit & velut eum absolvere, nec inde scandalizetur, teneatur TOTUM
 „ „ dicere, c. g. si vadit ad Episcopum, & Episcopus vult totum audire, dicat; si
 „ „ ad factum Curatum, qui potest absolvere, similiter dicat; dum tamen ubique
 „ „ sit securitas, quòd neuter scandalizabitur per pronitatem ad peccatum, ut in ma-
 „ „ teriâ fidei, vel in peccato carnis: sed querat tunc alios de licentiâ, saltem periti,
 „ „ si autem Episcopus, qui potest omnia absolvere, non vult, nisi reservata audire,
 „ „ & alius non possit, nisi non reservata, & non abest bona voluntas, & bona fides
 „ „ in confiteute; non audeam dicere, quin posset peccata sua isto modo dimittitur; si-
 „ „ cut ligatus duabus excommunicationibus potest absolvi primò de unâ, post per de-
 „ „ cem dies ab alterâ; sicut etiam in diversis diebus potest fieri una confessio: itaque
 „ „ non requiritur tanta unitas hic, sicut in aliis Sacramentis. Est & ibi quedam
 „ „ unitas in ministris istis duobus, scilicet unius pœnitie sacramentaliter integræ, &
 „ „ perfectæ super istius peccata. Non audeam præterea asserere in onus sacramenti
 „ „ confessionis, quòd talis teneatur suo sacerdoti, qui non potest de omnibus absol-
 „ „ vere, omnia dicere. Scio tamen, quòd turis est, & salubris (sed non quilibet
 „ „ bet potest faciliter induci) dicere peccata sua sic diversis; quia (ut dicit Scotus)
 „ „ talis confessio de uno peccato pluribus non vocaretur ex genere suo esse le-
 „ „ creta; quia isti duo, qui audierunt, possent ferre testimonium contra confitentem
 „ „ in foro contentioso, licet peccarent, tamen valeret testimonium (hoc sane abso-
 „ „ lutum est, sive de Scoto, siquidem hoc dixerit, sive de Gerson, qui falsum dictum
 „ „ assumpsit; cum isti confessores & essent in suo testimonio singulares, & neuter cri-
 „ „ men sciret scientiâ, quæ in iudicio admitti posset) „ Item nullus unius potest (ut
 „ „ videtur) cogi dicere bis peccatum suum in confessione; cum lex divina non cogat,
 „ „ vel obliget, nisi ad semel confitendum. Super hæc questione confessionis
 „ „ & absolutionis dividua, vel non, lege, quæ loc. cit. porro disputat M. Canus, ubi
 „ „ quoque approbat hanc Adriani propositionem: si præmissâ sufficienti discretionem
 „ „ confes-

confessus est quis habenti facultatem à culpis reservatis, & oblitus est fored unam ex illis, non tenetur adire Superiorem; cum autem occurrerit memoria, poterit confiteri cuicumque sacerdoti simplici, intellige, fori pœnitentialis quidem jurisdictionem habenti, sed non ad reservata, ne capentur verba *Adriani*. Nec istud ego assertum probo; quia hic peccator nondum esset confessus illi, cui jubetur confiteri ob causas.

XLIX. Post Concilium Tridentinum, Episcopus monens, ne potestate reservandi atrociora peccata in destructionem abutantur, æternæ Treviris memoriæ Archiep. *Jacobus III.* ab *Eltz* an. 1573. casus *Balduini* Archiep., hucusque retentos, ad 32. reduxit.*

* Juvat ejus Decretum ex libro *Officiali*, sive *Agendis*, Treviris an. 1574. per *J. Rotæum* impressis part. I. pag. 86. referre. „ Casus reservati dicuntur peccata „ quædam graviora, & majora, quæ à Romano Pontifice & Episcopis sanctè „ & justè reservantur, à quibus inferiores absolvere non possunt, & si absolvant de „ facto, peccant, & irrita & nullas momenti est absolutio. Ratio hujus est du- „ plex utilitas, non minima; prior, quia hæc ratione deterrentur à gravioribus „ peccatis perpetrandis; quod enim à quovis absolvi potest, faciliùs committitur: „ altera verò, quod majores & periculosiores morbi reservantur peritioribus „ medicis. Et sequuntur hoc ordine:

- „ I. Peccatum clerici, propter quod incurrit irregularitatem. Hoc istâ sententiæ universalitate non reservaverat sibi *Balduinus* Archiep.; cujus tamen casus diversi hæc comprehenduntur in uno, puta in clerico casus, 6. 9. 10. 14. 18. 19.
- „ II. Votorum violatio, maximè post votum castitatis matrimonio contracto. Erat casus 1. *Balduini*.
- „ III. Crimen incendiarii. Erat 17.
- „ IV. Peccatum omne, propter quod solennis pœnitentia indicenda est. Erat 16.
- „ V. Omnis excommunicatio major à *Rmo* Archiep. ejusve Officialibus lata.
- „ VI. Susceptio tonsuræ, vel ordinis alicujus ab alieno Episcopo sine facultate *Rmi* Archiep. tanquam *Ordinarij*. Erat 5.
- „ VII. Homicidium voluntarium, factò, vel præcepto, consensu, consilio, abortatione, vel quocunque modo perpetratum. Erat 6.

C

VIII.

- „VIII. *Macbinatio in mortem proprii, vel propriae conjugis.* Erat 8.
- „IX. *Crimen falsariorum, tam monetae, quam literarum, & instrumentorum.* Erat 13.
- „X. *Violatio ecclesiasticae libertatis, vel immanitatis.*
- „XI. *Sacrilegium (puto, legi debere Sortilegium) divinatio, incantatio, & similia magica.* Erat 29.
- „XII. *Ministratio, & executio ordinis sacri non suscepti.* Erat pars altera casus 14.
- „XIII. *Celebratio Missae à non jeuno, sine vestibus sacris, in altari non consecrato, loco, aut tempore interdicto, scienter facta.* Est prima pars casus 9. & 14.
- „XIV. *Abusus Hostiae, Cbrismatis, Olei sacri, vel cujusvis rei sacrae.* Erat 23.
- „XV. *Omnis inonestas circa Eucharistiae sacramentum, vel culpam vel negligentiam commissa.* Erat 34.
- „XVI. *Secundarum nuptiarum benedictio.* Erat pars secunda casus 9.
- „XVII. *Sepultura haereticorum, & publicè excommunicatorum in loco sacro.* Erat 10.
- „XVIII. *Perjurium clericorum atactis sanctis Euvngeliis.* Erat 15.
- „XIX. *Percussio parentum, vel enormis eis irrogata injuria.* Erat 28.
- „XX. *Crimina latrocinantium, & insidiantium viatoribus, & itinere.* Erat pars tertia casus 17.
- „XXI. *Defloratio violenta virginum, & earundem raptus.* Erat 21.
- „XXII. *Matrimonium cum aliquo vel aliquam in vitam vivente adhaec conjugem.* Erat pars prima casus 2.
- „XXIII. *Matrimonium contractum cum illa, quam vivente marito per adulterium cognovit.* Erat 39.
- „XXIV. *Conceptus proles ex alieno, quem maritus nesciens pro suo educat.* Erat 7.

- „XXV. Oppressio prolis, studiosa, vel ex negligentia, tam ante partum, quam post partum. Erat 22.
 „XXVI. Procuratio sterilitatis, vel abortus. Erat 36.
 „XXVII. Coitus cum moniali, vel consanguinea, vel Judea, & contra. Erat 20. & 27.
 „XXVIII. Sodomia, & cum brutis congressio. Erat 32.
 „XXIX. Commixtio sacerdotis cum filia sua spirituali, quam scilicet baptizavit, vel cujus confessiones audivit. Erat 38.
 „XXX. Omnis enormis blasphemia in Deum, vel Sanctos. Erat 37.
 „XXXI. Crimen heresis, juxta Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 6. de reform. Erat 3.

Collatis reservationibus Baluini, & Jacobi Archiepp., apparet, a) Dispunctos fuisse prioris casus 4. 12. 24. 25. 26. 30. 31. 33. 35. 40. b.) Detractum aliquid casibus 2. 3. 10. 15. 17. 19. 37. 38. c.) Adjectos novos casus 1. 5. 10. 3 & d.) Antiquis retentis ulteriores appositos 9. ad 13. 36 ad 36.

L. Duraverunt omnes isti casus reservati in *Trevirensi* Dioecesi usque ad annum 1688., * quo eos glor. mem. Archiep. *Joannes Hugo* ad II. reduxit.

* Dum interea an. 1601. 9. Jan. monuerat S. Congregatio Romana Episcoporum. & Regular. „ Ne locorum Ordinarii, quibus jus hoc reservandorum casuum „ competit, plexibus, quam opus sit, reservationibus subditis, aut confessariis, in „ animarum salute procuranda cooperantibus, sint onerosi, ut paucos, easque „ tention, quos ad Christianam disciplinam retinendam, animarumque sibi credita- „ rum salutem, pro cuiusvis dioecesis statu, & qualitate necessariò reservandos ef- „ se judicaverint, reservent: aliud similis tenoris monitum 26. Nov. 1602., quod „ Agendorum pastoralium liber altè facti *Joannis Hugonis* pag. 52. pro parte retulit, integritis lege in *Benedicti XIV. lib. 5. de Syn. cap. 5. num. 4.* una cum literis encyclicis sub eadem datà ad Episcopos.

CASUS CANONICUS.

A multo jam tempore (quod olim non erat) tenentur Rmi Indultarii, Germaniæ Principes Archiepiscopi quatuor, singulis

lis *quinquennis* Romæ novum indultum petere, canonicatus, & illas parochias, quæ non per modum *commende*, sed cum investiturâ dantur, conferendi in *mensibus*, cum vacaverint, *Papalibus*: exspiravit per lapsum *quinquennis* indultum, aut per resuscitationem Regulæ Cancellariæ XV. revocatum est. Impetrat *intermedio tempore* ante datam novi indulti *Vigilantius* talem canonicatum, vel ecclesiam à Domino Papâ.

Q. 1. An hæc ei debeatur? *n. Neg.*; sed *Rinus* Dominus Indultarius, etiam nondum habitâ renovazione, eosdem tunc conferet.

Q. 2. An provisus ab Indultario tenebitur se intromittere Romæ in licem? *n. Neg.*; sed contra ejusmodi citationes implorabit *judicium Imperiale Aulicum* pro *interdicto debortatorio pœali* contra eum, qui causam illuc trahere niteretur.

EX JURE CIVILI.

Ad Tit. XXVIII. Lib. III. Cod.

- I. **I**nverisimilis est *inofficiosi testamenti querela*, utpote *impietatis*, & *insanæ mentis* accusans *patrem* sine verâ causâ *exhæredantem*, *matrem* prætereuntem, contra naturam ipsam; cum *ratio naturalis*, quasi *lex quedam tacita* *liberis* *parentum hereditatem* addicat l. 7. ff. de bon. damnar. Hoc ex voto *parentum* est, atque ex naturali erga filios *caritate*. l. 15. ff. h. t. ita, ut in l. 7. §. ult. ff. Unde *liber*. vocetur *naturæ simul*, & *parentum commune votum*.
- II. Stat igitur *præsumptio veræ causæ ac justæ* pro parente contra querulantem *filium* *exhæredatum*, vel *præteritum*; & ideo l. 3. ff. b. d. ait: *inofficiosum testamentum dicere hoc est, allegare, quare exhæredari, vel præteriri non debuerit*, & l. 5. §. 1. eod. *Hujus autem verbi de inofficioso vis illa, ut dixi, est, DOCERE, immerentem se, & ideo indignè præteritum, vel etiam exhæredatione summotum*. Nec obest l. 3. §. 1. ff. de SC. Silan.
- III. Cur autem, non *exhæredato*, sed *hæredi scripto* probationem injunxit *Nov. 115. cap. 3. prope fin.*, contra *juris regulam*, & *principium*

pium cap. 5. de renunc. de inverosimili allegatione? Rder Gothofred. notator lit. i. *presumuntur alioqui liberi ipsi (supple institutionem) meriti, nisi probentur immeriti.* Sed quod erit hujus presumptionis fundamentum?

IV. Attento igitur, 1.) quod *presumptio potius pro parentibus militet*, 2.) quod *plerumque liberi sint parentibus ingrati magis, quam hi illis mali*, ac 3.) *praecipue quod jus istud Novellae legum anteriorum subsidio careat, imò verò 4.)*

V. Quòd à Constantino M. Imp. in l. 23. C. eod. discretè praescriptum fuerit, ut **LIBERI, de inofficioso querelam contra testamentum parentum moventes, PROBATIONEM DEBEANT PRAESTARE,** quòd obsequium debitum **FUGITER**, prout ipsius natura religio flagitabat, parentibus adhibuerint; **NISI scripti heredem ostendere MALUERINT, ingratos liberos contra parentes extitisse.** His, inquam, attentis

VI. Verba Novellae: *Et scripti heredem nominatam, vel nominatas causas, vel unam ex his veram esse, monstraverint, (δείξαι) ne contra torrentem juris innovare videantur, trahendo posteriorem legem juxta regulam l. 28. ff. de ll. ad priores, interpretet de probatione probationi filialis obsequii contraria, quam reprobationem in jure vocamus, non de prima probatione, utpote quam filius actor querulans, pro expurganda, quam pater moriens testamento inseruit, ingratitude, in se suscipere tenetur.*

VII. Sum hic, fateor, contra plurimos; ast non planè desitutus; ad haec à Justiniano *Const. de Concept. Digestor. §. 6.* sic monitus: *sed neque ex multitudine auctorum, quod melius, Et aequus est, judicator; cum possit forsitan Et deterioris sententia Et multas, Et majores in aliqua parte superare.*

VIII. Favit celebris ille Hieronymi Treutlevi exegeta, Reinerus Bachovius, ad h. t. §. 6. lit. f. ita scribens: „ Ait (Treutlevus) *hodie heredem probare; 1.) Quia nemo praesumatur malus. Imò praesume.*

sumetar, quem pater, cujus summus in liberos amor, notavit. 2.)
 Quia sint certæ causæ. Atquin tanto facilius causas illas in se non ca-
 dere, ostendere possit filius. Simplicius dicemus, hoc à Justiniano
 tributum favori liberorum; cum aliàs etiam ejus potiùs sit probari,
 qui affirmat, quàm qui negat.

IX. Ait Helf. Ulric. Hunnius ad eundem *Treutlevam* Volum. I.
 disp. 3. thes. 6. lit. f. pag. 978. ultimò ait, Nov. 115. minimè
 agere de querelâ inofficiosa, sed de testamento ob exhæredationem ri-
 tè non factam *ipso jure nullo*; quo casu cessat querela.

X. Aug. à *Leyser*, his motus, Specim. 357. rem ita temperat, ut sola
 quidem parentis in testamento facta *inculpatio* non sufficiat; argu-
 mentum tamen aliquod faciat, & cæteras hæredis scripti probatio-
 nes infirmiores suppleat; subjungens ibidem responsum suæ Fa-
 cultatis de an. 1716. Sed nec istud temperamentum satisfacit
 momentis meis, & quæ ipsemet *Leyserus* ibi latius ampliavit.

XI. Excipio: nisi pater liberis *primi thori* à se exhæredatis per *secun-*
das nuptias *novercam* superinduxisset. l. 10. C. de *secund. nupt.*
 ejusmodi enim patres amittunt præsumptionem illam juris; *ple-*
runque magis circa sanguinem suum inferentes judicium, noverca-
libus delinimentis, instigationibusve corrupti l. 4. §. 1. ff. h. t.

Ad Tit. XXIX.

- I. *Inofficiosa donationis querela* introducta fuit illo *jure civili*, quod
Constitutiones Principum vocatur, inchoante *Alexandro Severo* Imp.,
 cujus rescriptum extat in l. 87. §. 3. ff. de *legat. 2.*, non multùm
 post prosequente *Philippo* A. l. 1. h. t.
- II. *Primitus* data fuit pro casibus *fraudulente elusionis* querelarum in-
 officiosi testamenti, ll. cit.; sed nec postea aliter, quàm si patris
 matèrve *intervertenda quæstionis inofficiosa causâ* donationibus patri-
 monium suum exhaustissent l. 8. b. t.
- III. Ad hanc igitur instituendam querelam non sufficit, donatio-
 nem

nem fuisse *re ipsâ inofficiosam*, sed insuper probabitur *frays consilii* in donatoribus contra officium: quanta in hoc probando difficultas?

IV. Non solum *similitudo*, sed & *praxis* hujus querelæ cum illâ inofficiosi, quam ponit *Constantius A.* in l. 2. 8. ult. b. t., valdè claudicat; nam præter alia in *inofficioso* fingitur *pater furens fuisse*, dum condidit testamentum, in *inofficiosa* probandus est *egisse in fraudem legis*, proinde sibi *consilio malo*, & *mente callidâ* præsentissimus extitisse.

V. Requiritur porro leges 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *impetum quendam imense ac profundæ liberalitatis*; *exhaustas penè universas facultates*; *effusionem omnis patrimonii*; *immoderatas, immodicas, immensas donationes*; *improbabilem istarum enormitatem, quæ totas facultates vacuet*; id quod auxilium hoc reddit difficilius, atque incerti eventus:

VI. Accedit quæstio non decisa, à quibus *donationibus revocetur legitima*? An pro ratâ *ab omnibus*, instar detrahendæ falcidiæ, quotquot fecisset pater ex eo tempore, quo liberos habuit, quantumvis tempus mortis *diu* antecedente, quantumvis *modicas*, & de se nullatenus *inofficiosas*; an verò *ab illis solis*, à quibus *inceptit profusio*, iisdémque *sat propinquis tempori*, quo legitima deberi incipit? Primum sapit *Fabrizio Codici lib. 3. tit. 20. defin. 1. & 7.*, mihi verò neutiquam.

VII. Concludo, in praxi *ravioris usus* esse hoc legum Romanarum auxilium, saltem contra *extraneos donatarios* (inter *liberos* enim, cum cessat collatio, usus poterit esse crebrior) aliterque providendum fore *per locorum Statuta* liberis, ne lædantur suo tempore per *effusas donationes parentum*; *providendum*, inquam, *jam tunc, quando iste fiunt*; ne post vulneratam causam serò quærat^rur remedium: *dissepatis forte rebus donatis, vel donatariis alia diffugia excogitantibus.*

Ad

Ad Tit. XXX.

- I. A. C. 358. *Constantius* Imp., legem hanc unicam constituens, ait: *leges legibus concordare promptum est*: Qui hoc intelliges? sane non de legum sibi adversantium conciliatione; bene verò de legum ex legibus productione; nam ad similitudinem inofficiosi testamenti querelæ, introducta est illa *inofficiose donationis*, & ultra hanc illa magis specialis *inofficiose dotis*.
- II. Ait initium textus: *cùm omnia bona à MATRE TUA in dotem dicuntur exhausta*. Quæro 1.) Cujus à matre? R. Maximini Ciliciæ Præsidis: erat igitur illi filius tunc, quando exhausti; aliàs non exhaustisset mater, sed puella virgo, cui nulla lege prohibitum est *universa bona marito in dotem dare*. l. 4. C. de jur. dot. Non pertinet ergò hæc querelâ ad filios nascituros, sed debent tunc esse mari, *cùm datur dos* exhauriens.
- III. Cujus in dotem? *matris* ipsiusmet nubentis? an *filie*, respectivè *sororis*, nuptui datæ? R. *matris*, quia *filie*, vel *sororis* nomen est omissum.
- IV. Cui *matris marito*? an *patri Maximini*; an hujus *vitrico*? R. utrivis; si *patri*, figura casum, quòd mater *constante matrimonio*, natâque sibi jam prole, modò *dotem* in præjudicium futuræ legitimæ constituerit, auxeritve.
- V. At, si *vitrico*, nónne cessabit hodie querela *inofficiose dotis* post conditionem *ex l. 6. C. de secund. nupt.* à *Leone*, & *Anthemio* datam? R. Sic visum est *Azoni* nostro ad h. t. num. 2.; mihi tamen secus videtur cum *Brunnemanno* ad eund. tit. num. 5.; sic enim cum remedio isto concurreret, ut primò petatur contra *vitricum legitima*, & postea *residuum* inter liberos primi thori, eundemque *æquis partibus* dividatur.
- VI. Non puto itaque verum esse, quod hic ex *Baldo*, & *Molineo* scripsit *Perezius* num. 2.; cessare hujus querelæ remedium, si liberi utantur l. *Hac edictali*.

VII. Rectè verò docuit, si liberi majores facti, tempore secundarum nuptiarum, vel post obitum matris, *renunciassent legi 6. prædictæ*, superfore nihilominus querelam *inofficiose dotis*; nisi & huic *expressè, ac specialiter renunciassent, per l. 35. §. 2. C. de inoffic. testam.*

VIII. In primâ thesco IV. figurâ cessabit querela hæc, nisi *pactum lucrande dotis* appositum esset, propter Auth. *uxore C. de secund. nupt.*; cum enim aliàs, mortuâ matre, dos redeat ad liberos, quomodo haberet locum querela inofficiose dotis? ait *Azo hic num. 3.*

IX. Applicant hanc de *matre* loquentem legem *patri*, inofficiose propter nuptias donanti, & rectè: An & *filie, inofficiose à parentibus dotatae*? R. Neg. tum; quia non inofficiosa *dos* foret sed *donatio*, tum propter *l. 20. §. 1. C. de collat.*

CASUS CIVILIS.

Acrochola, matrona, per annum habere solita tot famulas, quot menses, imò quandoque plures, dimittit unam post alteram *sine causâ*, ingemiscente quidem, & imbecillitatis femininæ vitium agnoscente marito, sed ob pacem thori, & domûs (*um den lieben Ehe- und Haus-Frieben*) unicè connivente marito.

Q. 1. An famula *ad annum conducta*, sine causâ, & per meram heræ intemperiem dimissa, debeat esse contenta *mercede temporis*, quo servivit, *respondente*? R. Neg. sed habebit 1.) mercedem pecuniariam, & 2.) victum totius anni: non obstante, quòd alium famulatum receperit, aut reperire potuerit.

Q. 2. An *motivo pacis domesticæ* excusetur maritus à peccato conniventiae in re injustâ? R. Neg. Quia jure *divino, & humano* vir est caput mulieris, & familiæ dominus, ipse conducit famulantium operas, per se, vel per uxorem: unde *principaliter obligatur.*

D

Q. 3.

- Q. 3. Quid si ex intempestivâ dimissione amplius damnificaretur famula? R. *Totum damnum*, sive famæ, sive rerum, tenerentur *in solidum* reparare, vir connivens, & uxor, quæ retinere famulam non didicit.
- Q. 4. Qui reparabunt? R. Conniventia, & malo more depositis, *recipiendo*, & usque ad finem conductionis saltem retinendo eandem, nisi verè mereatur dimitti.
- Q. 5. Quid si matronæ, suum hunc morem in penitentia accusant, confessarius dissimulat annunciare has obligationes? R. Particeps fiet peccati, & oneris alieni.

EX JURE PUBLICO.

- I. Ante *Carolum M.*, a. C. 800. creatum Romanorum Imperatorem, *Collegæ Imperii Romani*, qui sæpè fuerant, ex æquo se scripserunt *Romanorum Imperatores*; licet, diviso Imperii onere, alius *Orienti*, alius *Occidenti* præesset.
- II. Sed, postquam Romani, excusso *Græcorum* Imperatorum, *Constantinopoli* residentium, Imperio, hoc ad *Carolum M.* transtulerant, re non multo post tempore cum *Orientis Imp. Nicephoro* composita: nullus Latinorum dignatus est amplius titulo *Romanorum Imperatoris Constantinopolitanos*; sed uno quasi stylo vocabant eos cuncti *Græcorum, aut Constantinopolitanos Imperatores.*
- III. Mirabile est igitur, quod in Concilio generali *Florentino*, quo *Romanorum Rex*, electus Imperator, *Albertus II.*, nullo oratore misso, absuit, non solum *Joannes VII. Palæologus*, *Orientis Imperator*, qui unionis & subsidii contra Turcas quærendi causâ personaliter interfuit, atque à sinistro confectus ordine, ex opposito sedis vacuæ, electo Imperatori *Alberto* tantum in speciem posita, confedit, se intitulaverit, & in actis græcis intitularus fuerit: ὁ ἰσχυρὸς βασιλεὺς; *Romanorum* electo Imperatore *Alberto* duntaxat appellato: ὁ βασιλεὺς τῆς ἀλαμανίας, aut τῶν ἀλαμανῶν, quod

verterunt: *Imperator Alamanniæ, vel Alamannorum. Vide Harduin. Tom. X. Concil. pag. 11.*; sed etiam ipsemet Papa *Eugenius IV.* in literis ad Joannem *Paleologum* & alios hoc illum titulo honoraverit.

IV. Latini non sunt ausi, ad exigentiam græcæ vocis *ῥωμαῖος* latinè scribere: *Joannes Paleologus ROMANORUM Imperator*; At hoc ipso, quod *ῥωμαῖος* significet *Romanum*, non debuissent dare titulum *ROMÆORUM Imperatoris*, sicut ibidem pag. 419. in ipsâ definitione fidei: *Latentur cæli datus est: Eugenius Episcopus... consentiente ad infra scripta carissimo in Christo filio nostro JOANNE Paleologo ROMÆORUM IMPERATORE illustri*: adde pag. 689. 691. 692. 694. 745. 859.; quanquam in aliis quibusdam literis providè posuerit idem *Eugenius: Græcorum Imperator. Ibid. pag. 709. 735. & 747.*

V. Nullo autem modo competeat Imperatori *Constantinopolitano*, cui an. 1453. jure belli successit *Mabometes II. Turca*, titulus sive *Romanorum*, sive *Romeorum Imperatoris*, quem *græca*, i. e. mala *fides* tunc noviter expiscata est à Romanis, nimidum credulis, paulò pòst autem per græcos, more quasi innato, delusis: sed unicus, & solus *Romanorum Imperator* erat & est *Rex Germanorum*.

VI. Fastus ille *Græcorum* apparuit in primo, quod post exaltatum *Carolus M.* an. 869. celebratum fuit, generali Concilio, videlicet *Constantinopolitano IV.* * Sed non agnovit eum *Nicolaus I. Pater Constantinus* illud, neque successor ejus *Hadrianus II.* durante Concilio.**

* *Basilii fidelis IMPERATOR ROMANORUM Nicolao sanctissimo Patre Romano. Harduin. Tom. V. Concil. pag. 790.*

** *Nicolaus I., morte præventus, Basilio non respondit; antea verò Michaëli III. Imp. non dedit alium titulum, quam Imperatoris Græcorum, aut magui Imperatoris. Harduin. loc. cit. pag. 802. & 807. Hadrianus II. verò Christianissimi Imperatoris à Deo procreati, semper Augusti. Et ipsum Concilium generale VIII. evitavit prætentam titulaturam. Quam verò ex proposito Græci suos monarchas vocaverint Romanorum Imperatores, patet ex eorum historicis, Georgio Logothetâ Sæc. XIII., & Nicephoro Gregorâ Sæc. XIV.*

VII. Tempore Concilii gener. *Lugdun.* II. an. 1273. habiti *Michaël Palæologus* titulum *Imperatoris*, & *Moderatoris Romanorum* sibi attribuit. *Harduin.* Concil. Tom. VIII. col. 681. & 694. * Sed Papa *Gregorius X.* eundem illi non reddidit, appellans *Michaëlem* aut *Imperatorem simpliciter*, aut *Imperatorem Græcorum*. *Ibid.* col. 672. 685. 701. 702.

* Nec mirum, quod sub *Martino V.* quidam Curie Constantinopolitane Notarius prædictam titularum inseruerit instrumento, quod pro Legato summi Pontificis an. 1423. confecit. *Harduin.* Tom. VIII. col. 1018.

VIII. Anno 1198. *Innoc. III.* Papa in cap. *solite* 6. de M. & O. *Alexio Commeno* hunc dedit titulum: *illustri Constantinopolitano Imperatori*.

IX. *Glossa* autem in cap. 34. de elect. verbis: *transulit in Germanos* proprietatem hujus nominis penitus abnegavit Græcis: & sic, inquit, patet, quod *IMPERIUM* non est apud *GRÆCOS*; licet *LARIGO NOMINE* appelletur *Imperator* in cap. *Solite*, sicut & *Rex schæcorum* dicitur *Rex*; quoniam extra *Ecclesiam* non est *Imperium*.

X. Quæ causalis uno sensu, conformiter ad A. B. sustineri potest, de tractâ tamen indignâ similitudine *Regis Schæcorum*.

XI. Pro honore *Romani Imperii* providè an. 869. ad *Hadrianum II.* Pap. scripsit *Anastasius Bibliotecarius* sic: *Imperatores ROMANORUM*, qui nunc *GRÆCORUM* appellantur. *Harduin.* Tom. V. Concil. col. 756. in fin.

XII. Et *Matthæus Pavisus* in *Histor. Anglic.* ad 1245. *Orientis Imperium* rectius vocavit *Imperium Romaniae*, id est *Ibraciæ*, vulgariis *Rumeliæ*, cujus caput est *Constantinopolis*.

EX JURE FEUDALI.

I. **A**it textus I. Feud. 6. Si *Episcopus*, vel *Abbas*, vel *Abbatissa*, vel *DOMINUS PLEBIS*, feudum dederit de rebus ecclesiarum, quas
eis

- eis subiecte sunt, & **TITULI** vocantur, nullum habet vigorem: secundum hoc, quod constitutum est à Papa **URBANO** in sanctâ synodo; hoc est, illud, quod **POST EPIUS DECRETUM** datum: quod autem ante dictum fuerit, firmiter permanere debet.
- II.** Quis est hic Dominus plebis? R. Est persona ecclesiastica, sicut præcedentes, non laica, nempe Decanus Christianitatis alicujus, quæ vocabatur plebs, & ab hac voce Plebanus, sive dominus plebis, qui plebem regit. *Dufresne* in Glossario: & refertur ultimo loco hic inter illos Ecclesiæ prælatos, qui feuda dare possunt; nam & ipse in quâdam Ecclesiæ dignitate constitutus esse declaratur in cap. 1. *ne cler. vel monach. in 6.*
- III.** Quid hic sunt tituli? R. Non res ecclesiarum, sed ipsæ ecclesiæ, quibus intitulati sunt illi Prælati; multò minùs sunt ecclesiæ parochiales, Plebanum respicientes;
- IV.** Prohibentur ergò Plebanus in feudum dare res suæ Ecclesiæ, quæ vocabatur plebanalis.
- V.** Ubi hoc vetuit decreto *Urbanus* papa II.? R. Nullibi invenitur; neque enim huc pertinet *can. 20. Concilii Claromontani V. de an. 1095.* Unde fabulam hic nobis narravit *Obertus Ortensius.*
- VI.** Cur valuisse feudum ante *Urbani decretum* ab his Prælati datum, nec postea? R. Ex principio cap. 2. de constit. l. *ex ita solet FURTURIS formam imponere, ut dispendiis PRÆTERITA non condemnet.*
- VII.** Poterantne Prælati ante *Urbanum II.* res titularum suorum largiri in feudum? R. Poterant, non quidem omnes, sed illi soli, quorum antiquitùs, i. e. à 40 annis, consuetudo esset, feudum dare. *Hic & eod. lib. tit. 1.*
- VIII.** Estne quoad hoc facienda distinctio inter bona mensalia Prælatorum, & alia, quæ ad mensam eorum non pertinent? R. Neg.

EX JURE CRIMINALI.

- I. Supplicium, quod *Constantinus M. Imp. in l. un. C. de his, qui qui parent. vel liber. occid.* dictavit, ut *parricida neque ignibus, neque ulli alii solenni (i. e. consuetae) poenae subjugetur, sed insutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & viperâ, & firriâ, & inter eas ferales angustias comprehensus, serpentium contuberniis misceratur, & vel in mare, vel in amnem projiciatur, ut omni elementorum usu vivus cavere incipiat, & ei cœlum superstiti, terra mortuo auferatur, etiam infanticidas comprehendit.*
- II. Sanè, ubi *pœna culei* (à plerisque desuetudini commissa, vel non adoptata) adhuc viger, sicut apud Saxones, simiæ, retentis carceris animalibus, felem, aut etiam pictos serpentes veris subituentes (lege in *Besoldi thesauro* adaucto verbo: *Kinder Missethen* num. 2., in addit. sententiam Lipsiensium de an. 1617.) meritiò etiam *infanticide* ista dicitur tunc, 1.) Cùm infans jam est adultior, nec, ut ajunt jura, *sanguinolentus adhuc*, 2.) Cùm inhiatur ejus bonis. 3.) Cùm è medio tollitur, ne obstet securandis nuptiis, utve 4.) onus educationis, vel alimentationis abjiciatur. 5.) Cùm propter corporis, aut animi defectum odio est.
- III. Verùm si occidat infantulum *mater* pro evitandâ *infamiâ vitiatâ clam virginitatis*, in puerperio, vel paulùm post, majores nostri non duxerunt, eam *culeo plectendam*, sed substituerunt *defossionem vivæ in terram, transfixo per pectus palo.*
- IV. Saxonibus hanc suo ævo solemnem fuisse, sed *electivè*, restatur *Wesenbec.* ad leg. Pompej. de parricid. num. 5. *Hodie tamen aut gladio feriri, aut in profluentem submergi, aut ubi desunt flumines, vivæ etiam apud Saxones defodi solent.*
- V. Sed & *extra Saxoniam* hæc defossionis & transfixionis pœna in Germaniâ obtinuit, exemplum nobis præcisum dante vicini Treviris

viris Comitatus Falckensteinensis Recordio de an. 1418. der
Dieb an Galgen, den Mörder aufs Rad, Kindsverdulge-
rur lebendig ins Grab, ein Rohr ins Maul, ein Stre-
cken durchs Herz.

- VI. In d. Carolina Nemesis art. 131. testatur *generalem morem*:
welches Weib ihr Kind, so das Leben, und Gliedmaß em-
pfangen hätte, heimlicher, boshafter, williger weis ertö-
det, die wird **GEWÖHNLICH** lebendig begraben,
und gepfälet.
- VII. Ad evitandam tamen desperationem, huic poenæ surrogavit
suffocationem in aquâ, ubi hujus adest commoditas; permittit
verò antiquum *desoffonis*, & *pali supplicium tunc*, cum id exigit
criminis frequentia ad majorem terrorem, aut *arbitrio judicantium*
lacerari forcipibus candentibus carnes vult ante suffocationem in
fluminae.
- VIII. Atqui adesse per omnes ferè provincias *criminis hujus frequen-*
tiam, docet experientia, *Augustino à Leyser* Tom. IX. specim.
DCXI. pag. 701. attestante: *Quàm diu Collegiis juridicis adfideo,*
non recordor mensum ullum praeteruisse, in quo non TER, BIS, vel
SEMEL SALTEM, de penâ parentum, qui liberos necârunt, fueri-
mus consulti; atque tamen tot cœdium UNICUS FONS, UNICA
SEMPER CAUSA fuit *existimationis & honoris sui conservatio.*
Sanè, ubi frequentius est aliquod maleficii genus, ibi durissimè
puniendum. *L. 1. ff. de abig.*
- IX. *Simplex igitur gladii poena* usualis pro hoc *contra naturam* delicto
est satis se ipsâ lenis; proinde *crudelis misericordia*, quæ mortis
planè condonationem importunis precibus emendicaret.
- X. *Aliena à Nemese Carolinâ interpretatio Berlichii* est part. 3. con-
clus. 7. num. 10., *tunc fore mulierem juxta art. 131. puniendam,*
si ipsa *plures quàm unum* occiderit infantes; clarum est enim,
Carolum V. Imp. intelligere huius delicti *frequentiam in communi,*
non frequentationem in unâ aliquâ.

EX

EX JURE TREVIRENSI.

I. **L**ex 16. C. de locat. conduct. videtur asserere, locationem condictionem tacitam fore tanti temporis, quanti fuerat expressa temporis lapsu finita: nec distinxit inter locationem rustici, vel urbani prædii.

II. Distinxit autem eatenus l. 13. §. ult. junct. l. 14. ff. loc. cond. inter urbana, & rustica prædia, tacite relocata.

III. Sed ita distinxit, ut obscura dederit de urbanis verba, * rusticit prædiis contrapositione: hæc post lustrum, locationi præfixum, solummodo ad unum annum tacite relocari dicit: in urbanis autem, alio jure utimur, ita, ut prout quisque habitaverit, ita & obligetur.

* Quis enim 1.) obligatur? locator, an conductor, an uterque? 2.) ad cuius temporis quo habitavit, quantitatem? an illius, cujus lapsus finiverat contractum? an verò ulterioris, finitam locationem secuti? si hoc, ulterius quæro. 3.) An tanto in antea tempore tacitus reconductor porro manebit in domo, quanto retrò tempore, tacito utriusque consensu, mansit, an verò, renunciante locatore, mox eam exactionibus inquilinus, etiam si aliam domum non reperiret? & quid vult 4.) exceptio obscura Ulpiani decisioni mox supposita: nisi in scriptis certum tempus conductioni comprehensum est? an ergo tunc ad tantum certi temporis censetur facta reconductio? an verò scriptura contractus impedit prorsus omnem reconductionem adium tacitam? dissensio est.

IV. Lex nostra statutaria Tir. XIX. §. 7. retinuit distinctionem juris communis, & communiosem his verbis interpretationem: trüge es sich dann zu, daß kein Theil dem anderen zu gebührender gewöhnlicher Zeit die Beständnus uffgesagt, sondern der Ausleyher ließe den Beständner, ohne einiges ferner Geding bey dem Guth verbleiben, ist es denn ein nutzbar Guth, oder prædium rusticum, so wird die vorhergehende Verleyhung durch diesen tacitum consensum noch auf ein Jahr verestrecket, und ist einer dem anderen eben dasjenige, was in voriger Mied, oder Verleyhung abjeredt, zu halten schuldig; ist es aber ein Wohnhaus, so ist der Inwohner die

die zuvor versprochene Haußzinns zu zahlen schuldig, sofern er dasselb ohne ferneren Beding bewohnet, und ihm solches von dem Aussteyher nicht aufgesagt wird.

V. *Lapso autem puto istius statuti concinnatores in verbis: zu gehührender gewöhnlicher Zeit, cum vellent ponere, aut deberent: zur Zeit der zu End gegangener Beständnis; quippe, si consuetudo loci resignationem locatoris (die Aufkündigung) debito tempore usuali ante finem locationis, quem sibi contrahentes statuerunt, introduxerit, neglectus tempestivæ resignationis faciet, ut jam à momento neglectæ renunciationis nova fiat usque ad revolvendum resignationis faciendæ fatale, imò verius usque ad finem sequentis anni, relocatio tacita.**

* E. G. Trevis consuetudo est, ut annales ædium locationes conductiones finiantur festo S. Michaelis, renuncientur autem uno saltem ante hunc diem mense; hoc neglecto, jam tunc relocatio, & reconductio sient tacite usque ad S. Michaelem subsequentis anni. *Brannenanus* ad dictas supra LL. Cod. & Digestor.; ubi quidem de pacto tali adjecto loquitur; sed non minus virtutis est in consuetudine, quam in pacto; nam & illa pro lege est.

VI. Optimè sibi consulunt, qui pactum renunciationis cum certo tempore contractui adjiciunt: daß einer dem anderen ein viertel Jahr vorhero aufkündige; ut tam locator invenire possit novum inquilinum, quam conductor novas ædes.

VII. Quod ipsum utiliter fiet in emptis sub pacto de retrovendendo, ut relictio adstringatur favore ementis ad certum anni tempus.

* Hujusmodi contractus veterum vidi multos; unum verò de an. 1447 delibo, *Philippi à Strck*, Ecclesie Metropol. Trevir. Præpositi, eâ lege villas *Härtigweyler & Rasweyler* parochiali Ecclesie S. Wendelini vendentis: auch ist herccht, welche Zeit, oder wann, daß ich Philips, oder mein Erben, komme, acht Tag vor dem heiligen Christtag, oder acht Tag darnach ungewestlich, und gesinne und beschre genannte Brüdermeister der S. Kirchen St. Wendelini, die da seynd, oder Junhalter des Briefs, und Wiederkaufs, so sollen sie mir, oder meinen Erben solche zwey Dörffer vorgenannt wiederum zu kauffen geben. Neglecto isto tempore, differretur relictio in alterum annum, sed intra id ipsum fatale.

ada-
ressa
vel
l. in-
Bicit
fo-
alt.
tur.
arin
a ve-
to in
ra-
nabit
ob-
om-
tio?
taci-
ris
ge
ber
gr
bi
ve
re
as
en
er



HISTORICUM.

De S. CLEMENTE I. Papa. Ad can. 1. VIII. q. 1.

I. **Q**uotus Romæ Episcopus fuerit iste S. CLEMENS, pridem disputatur. *

* Glossa in cit. can. verbo: *aut ligandi*, ait: *secundum UNAM computationem fuit SECUNDUS, & secundum ALIAM fuit QUARTUS: unde versus: DISPUTAT, HIC, MUNDUS, QUARTUS, FUERITVE SECUNDUS.*

II. Verùm Patres, Scriptores, & Catalogi RR. PP. veteres *Clementem* non sistunt aut *secundum*, aut *quartum*, sed potiùs aut *tertium*,* aut *quartum* ** Urbis Episcopum.

* *Tertium* ponunt duo catalogi P. Dan. Papebrochii S. J., quorum alter, tempore *Liberii* papæ conscriptus auramatur, indèque *Liberianus* dici consuevit, alter *Justiniani* Imp. ævo; in quibus ordo successions iste est: *Petrus, Linus, Clemens, Cleus, Anacleus*. Eundem *Liberianum* dedit, prout jacet in membranâ, J. G. ab Eckart in *Corpore Historico medii ævi Tom. I. pag. 26.* Secutus est eos *Hyacinth. Graveson* Dominicanus Gallus, in *Chronol. post Tom. VIII. sæc. H. E. pag. 1.* Ex Ss. Patribus S. *Optatus*, Milevi in Africa circa an. 370. Episcopus, *lib. 2. de schism. Donati adversus Parmenian.* paulùm aliter & sic tenuit: *sedit prior PETRUS, cui successit LINUS, Lino successit CLEMENS, Clementi ANICLETUS, Anicleto EVARISTUS; Optatum secutus est Sæc. V. S. Augustinus* epist. 165. ad *Generosum; Petro enim successit LINUS, Lino CLEMENS, Clementi ANACLETUS, Anacleto EVARISTUS.*

** *Econtra quartum* recensent, S. *Irenæus*, Sæc. II. Lugdunensium Episcopus, *lib. 3. advers. heres.* cap. 3. *Fundantes* igitur, & *instruentes beati Apostoli (Petri, & Pauli) Ecclesiam (Romæ) LINO* Episcoporum administrandæ ecclesiæ tradiderunt... *Succedit autem ei ANACLETUS, post eum tertio loco ab Apostolis Episcoporum sortitur CLEMENS: huic autem Clementi succedit EVARISTUS; Sæc. IV. S. Epiphanius* hæres. 27. cap. 6. scripsit: *Romæ primùm omnium Petrus, & Paulus APOSTOLI PARITER ET EPISCOPI fuerunt: inde LINUS, tum CLETUS; post hunc CLEMENS, Petri, & Pauli synchronus. Ante Epiphanium eod. sæc. Eusebius Pamphili, Episcopus Cæsareæ, qui meruit dici pater Historiæ Ecclesiasticæ, idem tradidit lib. 3. cap. 2. 14. 24. junctis; tertius ab Apostolis CLEMENS, & lib. 5. cap. 6. refert verbotenus passim S. Irenæi. Hos secutus est S. Hieronymus c. p. 14. de Viris illustr. „ CLEMENS, de quo Apostolus Paulus ad „ Philipenses scribens ait: cum Clemente, & cæteris cooperatoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, QUARTUS post Petrum Romæ Episcopus;*

pus; sequidem **SECUNDUS LINUS** fuit, & **TERTIUS CLETUS**; mox autem addit: *tamen* **PLERIQUE** *Latinorum* **SECUNDUM** post *Petrum Apostolum* putant fuisse **CLEMENTEM**. Plurimi MS. Catalogi inde à Sac. VI. usque ad IX. *quartum* locum dant *Clementi*, ut ex Colbertinis 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. apud Ant. Fagium Tom. I. *Crir. in Baron.* à pag. 162. His consonat *Canon Missæ*, & *Liber Pontificalis*, qui vulgò dicitur *Damaſi Papæ*.

III. Præponderare mihi videntur, tum scriptores, tum catalogi illi, qui **S. CLEMENTI** *quartum* locum, sive (quod idem) à **S. Petro tertium**, tribuunt. *

* Prorsus autem recedo ab Authore poematis adversus *Marcionem* apud *Tertullianum* (qui tamen *Tertullianus* ipsemet non est, sicut putavit *C. Baronus* ad a. C. 69. num. 39.) *quintum* ponente *Clementem*:

Hæc Cathedrâ **PETRUS**, quâ sederat ipse, locatum

Maxima Roma **LINUM** primam considerare jussit:

Post quem **CLETUS**: & ipse gregem suscepit ovilas

Hujus **ANACLETUS** successor sortis locatus;

quem sequitur **CLEMENS**.

Neque enim sibi suffragantem habet coævum, qui *duas* in *Clero* & *Anacleto* numerasset personas & utramque ante posuisset *Clementi*; neque sensit hoc (*Anbia* absque eo fidei) epistola *S. Ignatii M. ad Mariam Cassobolitam*: *Romæ* apud *beatum Papat* **ANACLETUM**, cui successit *beatitudine dignus CLEMENS*, *Petri & Pauli Auditor*; cùm multi *Cletum* eundem, qui *Clementem* antecessit, vocarint *Anacletum*, ut supra *S. Ireneus*, & *Eusebius* lib. 3. cap. 14. *In urbe* verò *Româ*, *duodecim ANACLETUS* annis in *Episcopatu* exactis, *sacerdotii sedem CLEMENTI* tradidit: nempe *Cletus*, à multis vocatus quoque *Anacletus*, à *Nicephoro*, & *Syncello Anacletus*, ab *Eutychio Diaclerius* dicebatur; quin isti vellent fuisse *duos*. Vide *doctiss. Benedictinum* *Congreg. S. Mauri* *domn. Petrum* *Constant* in *Epistolas RR. PP.* pag. 4., ubi scribit: *ex uno Pontifice, CLETO*, *perperam factos esse duos, quorum unus post CLEMENTEM, alter post LINUM collocatus sit* (imò in *catalogis Liberiano*, & *Justiniano* apud *Papebrochium* in *Conatu* pag. 44. & *seq.ambo post Clementem*) *sed ex illis duobus, unum duntaxat, duplici, vel etiam triplici ratione appellatum, qui LINUM exceperit, agnoscendum esse, satis magno consensu HODIE inter eruditos convenit.* Adde *præcoci* *eruditiois* *18 annorum adolescentem*, imò quoque, dum erat adhuc *puer*, jam *doctè sapientem*, *Berolinæ eruditorum societatis membrum* *Joan. Philip. Bararorum* de *Successione Episcoporum Romanorum*. Cap. 2.

IV. Illam *plerorumque* opinionem de *secundo CLEMENTIS* loco, quam attestatus est supra *S. Hieronymus*, sequitur *Can. 1. VIII. q. 1.*,

sive *Isidorus*, vulgò *mercator* dictus, *faber* ille, uti *multarum aliarum ante Siricium* Papam, ita quoque *supposituræ epistolæ Joannis III. Papæ*, cujus fragmentum *Gratianus* intulit suo *Decreto*. *

* His verbis: *si Petrus, princeps Apostolorum, ADJUTORES sibi adseruit LINUM & CLETUM, non tamen potestatem PONTIFICII, aut solvendi, aut ligandi eis normam tradidit, sed SUCCESSORI suo S. CLEMENTI, qui sedem Apostolicam, POST EUM, & potestatem PONTIFICALEM, tradente sibi B. Petro, tenere promeruit. LINUS* verò & *CLETUS ministrabant exteriora: princeps autem Apostolorum PETRUS* verbo & orationi insistebat: *Integram Epistolam dedit Tomus I. Concil. edit. Colon. de 1530., in quo reperies quoque ceteras à larvato Isidoro confictas. Signavit diem, & consulè: data XIV. Kal. Aug. JUSTINIANO VI. & Narsese IV. Consulib., vel, ut habent alii, JUSTINO VI., & Narsese IV. V. CC. Coss., quæ consularis Data vel se solâ arguit fallitatem. Sanè Justiniano Imp. nullus in Fastis adscribitur Consulatus VI., multò minùs Narses Collega. Justinus autem junior, immediatus Justiniani successor, collegas Augustorum privatos in consulatu abrogavit, atque ab a. C. 567. usque 578. 10. huius notatur Consul: Vitus Consulatus Justinii annus incidit in a. C. 572., fuit autem belli dux Narses jam anno secundo consulatus Justinii junioris, i. e. a. C. 567., ab Italiâ remotus. Joannes III. Papa, C. Baronio, a. C. 559. ordinatus, 13. Jul. an. 572. decessit; Papius a. C. 560. inauguratus, obiit 13. Jul. a. C. 573.; Papebrochio 21. Aug. a. C. 561. consecratus vivere desit 12. Aug. an. 574. Quapropter Harduin. Tom. III. Conc. col. 339. notavit: *Adulterinam omnes docti censent, Baronio præconne.**

Additio. Teste Baronio ad a. C. 69. num. 43. *Marianus Scorus Fuldenfis Monachus in Clemente* scribit, *Leonem II. Papam* in quâdam suâ epistolâ ejusdem fuisse sententiæ, cujus erat *Joannes III.*; sed, cum *Leonis II. epistolæ 2. 3. 4. 5.* apud *Harduin.* Tom. cit. col. 1729. pariantur quæstionem statûs, ac fidei non sublesta, multò magis ista, quæ nequidem cernitur inter alias; & illa num. 1. quæ genuina est, æquè parùm hujus rei meminit, ac quatuor dubiæ.

V. *Linum & Cletum* fuisse *adjutores S. Petri*, sino, donec nempè *S. Petrus* ipse *Episcopatum particularem Romæ*, juxta *generalem Primatum Ecclesiæ*, gessit. * *Sed eos mansisse adjutores usque ad mortem suam*, falsum est, *reclamantibus Patribus, & Catalogis*, qui uno ore *successionem* enunciant. **

* De adjutoriâ *Lini*, & *Cleti* operâ, *S. Petro* exhibitâ, nihil est in sacris *Literis*; ut quæ *Cleti* non meminerunt, *Lini* verò tantum in clausulâ salutatoriâ epistolæ *S. Pauli ad Timoth. II. cap. 4. v. 21.*; quæ cum paulò post primam *Apostoli coram Nerone* defensionem (C. Baronio Tom. I. pag. 590. a. C. 59. *Neronis 3.*) scripta fuit.

fuert Romæ, certum est, sibi quoque *Linum* tunc fuisse cum S. Paulo Apostolo: propter quod epistola S. Iguatii ad Trallianos, quæ inter genuinas refertur, *Linum* non S. Petri, sed Pauli ministrum, sive *Diaconum* fuisse scribit: quid etiam *Diaconi*, nisi imitatores Christi, ministrantes Episcopo, sicut Christus Patri, & operantes illi operationem mundanæ, & immaculatam, quo modo S. Szebaus Beatissimo Jacobo, & Timotheus & LINUS PAULO, & ANACLETUS & CLEMENS PETRO. E contra daos priores Petro extitisse *Cœpiscopos*, dicit catalogus RR. PP. quartæ Bibliothecæ Colbertinæ apud Pagium Tom. I. critica pag. 165, ubi post *Linum*, & *Clerum* sic: *hi duo fuerunt CœPISCOPI*, NB. UNUS SCILICET POST ALIUM, temporibus B. Petri: & ante istum Eusebius lib. 3. cap. 4. de *Lino*, & *Clemente* affirmat: LINUS verd & CLEMENS (memorantur) in urbe Romæ Ecclesiæ PRÆFUISSE, qui COMITES & ADJUTORES ejus fuisse ab ipso Paulo perhibentur.

Additio 1. Dan. Papebroch. in Conatu pag. 14. ad illud catalogi sui secundi: *Hic* (Petrus) *fecit ordinationes tres, Presbyteros decem, EPISCOPOS TRES, Diaconos septem*, per mensem Decembriam (aliter Liber Pontificalis, *Hic fecit ordinationes per menses Decembrios Episcopos sex; Presbyteros decem, Diaconos octo*) Papebrochius, inquam, ad hanc sublesta fidei narrationem indagans, quinam fuerint tres illi Episcopi, quos S. PETRUS ordinavit, censet fuisse *Linum, Clerum, & Clementem*, quos Collega ejus Godsfred. Henschenius in Tom. I. April. vocavit Episcopos Apostolicos, Papebrochius autem rectius fortassis vocandos fore autumavit Evangelicos; quasi verd liceret unicuique formare agnomina, quæ sibi bene videntur, nullo præeunte, deferri, quæ veteres nobis tradiderunt, nominibus, excogitatis novis: Veteres autem dicunt duo: 1.) fuisse *comites, adjutores, operatores*; 2.) fuisse etiam *Episcopos*, & successivè *Cœpiscopos* (non *Chorepiscopos*) hoc satis sit nobis.

Additio 2. Idem Hagiographus pag. 15. num. 6. fecunditatem inventricis suæ imaginationis demonstrat hoc sistemate, ajens 1.) ordinatis mense Decembri successivè tribus illis, postea S. Petrum, ab urbe digressurum, & fortè nunquam reversurum ad eam amplius, proposuisse populo, ut eligeret futurum, non solum Vicarium, sed (quomodò nunc appellamus) *Coadjutorem cum jure successions*, aded, ut sic electus *Linus* jam tunc inceperit ceteri, & verd esse Romanus Episcopus; non tamen 2.) *supremus, nisi per inehronisationem*, mortuo Petro faciendam: unde 3.) factum sit, ut *Vicarius solius Lini* sub Petro, cum Pontificatu confusus, noterur in catalogo, non item *aliorum duorum*. 4.) post hæc *Petrum*, spectatâ præsentiori ecclesiæ necessitate, *Clementem* prætulisse *Lino*, eique tradidisse successiõnem, uti fertur, sed 5.) *Clementem* id meritò recusasse, sique clero, ac populo mansisse libertatem, collocandi in Apostolicam sedem, quem antea ad hoc elegerat. Itaque 6.) in *Lino* (idem intelligit proportionatè de *Cleto*, & *Clemente*) tres quasi ordinationes concepit Papebrochius, primam *Episcopi-Evangelici* pro urbe Romæ, quæ illum faciebat ex principalioribus membris *primi in illi ecclesiâ presbyterii*, quæ etiam fuerint post similem ordinationem *Cleus, & Clementis*;

mens; secundam in *Vicarium cum jure successionis*, qua ipsum faciebat totius presbyterii caput post Petram, etiam supra Clerum, atque Clemenem; anno Christi 56. die 11. Maji tertiam *Pontificalem*, prehabito novo cleri, populique consensu; & subjungit hanc tertiam *Linii* electionem veteres non distinxisse à secundà: nimium hoc est litare imaginibus mentis suae. Lege *Gerardi Casseel*, Canon. regul. S. Crucis, primùm in monte S. Helena propè Welschbillich territorii Trevir., dein in S. Duisburgum translati, ibidemque Prioris posthuma *selecta historica* in S. Cleto, ubi non abfimilem conjectandi licentiam carpsit in Papebrochio.

** *Substantia successionis* clarè enuntiat; sed *chronologia* crucem fixit his, qui annos singulorum, quibus inceperit, quibus desierit eorum quisque esse Romanus pontifex, sive ex scriptoribus, sive ex catalogis, horumque consularibus, conabantur definire; hi perdunt operam in re nullius certi exitus, potius autem interminabilis altercationis. Quidquid enuntient illa monumenta, incertum est, quae annis *Pontificatum Romanum* tenuerit S. PETRUS; plerique scribunt XXV., *Eusebius* XIX., *Papebrochius* XV., *Nicephorus* autem II. tantum: incertae sunt haec definitiones annorum, & manebunt incertae; idè ex iis nulla fiet suppositio, nullum argumentum. Teneamus modò id, quod ponit S. *Epiphanius* har. 27. *AT-TAMEN* *Episcoporum in Româ* *SUCCESSIO* *haec* *CONSEQUENTIAM* *habuit:* *PETRUS, & PAULUS, LINUS, CLETUS, CLEMENS, EVARISTUS.* Vide omninò hunc S. Patrem loc. cit., ubi *successionem* quidem unius post alterum positivè adstruit, *tempus* autem *successionis* prudenter in medio relinquit, propter variantes jam tunc narrationes. Sæc. III. *Terrallianus* Lib. de praescript. advert. hæret. cap. 33. ait: *Smyrncorum ecclesia* *habens Polycarpum* *ab Joanne* *conlocatum* *refert, sicut Romanorum, CLEMENTEM à PETRO ORDINATUM* *refert:* *Comparatio* *inter Joannem, Polycarpum, & Smyrncorum ecclesiam, nec non inter Petrum, Clementem, & Romanorum ecclesiam, hæc à Terralliano* *instituta, evincit, Clementem, à Petro ecclesiae Romanae praefectum fuisse Episcopum: tunc igitur, vivo adhuc Petro, jam decesserant Linus, & Cletus, qui pariter tempore Petri Romae fuerant Episcopi successivi. Hoc tenuit sæc. IV. Rufinus, Presbyter Aquilejensis* *praefat, in 10. libros Recognitionum S. Clementis, ubi: quidam enim requirunt, quomodò, cum LINUS, & ANACLETUS in urbe Româ ante CLEMENTEM hunc fuerint Episcopi, ipse CLEMENS, ad Jacobum scribens, SIBI dicat à PETRO DOCENDI CATHEDRAM TRADITAM; cujus rei hanc esse acceptam rationem, quòd LINUS, & ANACLETUS fuerint quidem ante CLEMENTEM Episcopi in urbe Româ, sed SUPERSTITUTE PETRO, videlicet, ut illi Episcopatus curam gererent, ipse APOSTOLATUS impleret officium: Ex hoc modo UTRUMQUE VERUM videbitur, ut & illi ANTE CLEMENTEM numerentur Episcopi, & CLEMENS tamen POST OBITUM PETRI docendi suscepit sedem.*

Consecutio. Non retinuit igitur S. Petrus, juxta istud systema, donec vivere desinit, Episcopatum Romanum, quem fundavit, primus in eà cathedrâ sedens: sed, retento Primatu Apostolatus, nulli adhucdum ecclesiae affixo, post se successores in Romanâ ecclesiâ (non in Primatu totius ecclesiae) habuit Linum, & Clerum, utri-
que

*Dampnat
cententia
Febromy, sive Diaboli*

que superiores. Hoc systema S. Epiphanius loc. cit. non rejicit; Et nemo, inquit, miratur, quod ante ipsum (Clementem) alii Episcopatum assumpserint: cum sub Apostolis hic fuerit contemporaneus Petri & Pauli; nam & illi contemporanei Apostolorum fuerunt: Hic S. Pater solvit objectionem contra successionei substantiam, quam ipse mecum absolute asserit; pergit autem: Sive igitur, ADHUC IP-SIS SUPERSTITIBUS, à Petro accepit impositionem manuum Episcopatus, . . . sive POST APOSTOLORUM SUCCESSIONEM à CLETO Episcopo hic constituitur, NON ITA CLARE SCIMUS. Hic agnoscit, & profitetur, non esse ita clarum, an S. Clemens à Petro fuerit ordinatus, vivis adhuc Lino, & Cleto; an autem modo post illam successionem, quâ Linus, & Cletus pervenerunt ad Episcopatum Romanum, atque adeo post Apostolorum tempora, ordinem Episcopalem acceperit à Cleto & porrò: „ Veruntamen etiam hic (Cletus) potuit, SUPERSTITIBUS ADHUC APOSTOLIS, Petro videlicet & Paulo, alios Episcopos constituere, propterea, quod Apostoli sæpe ad alias terras ablegabantur propter Christi prædicationem: NON POTUIT AUTEM URBS ROMA SINE EPISCOPO ESSE; Paulus enim in Hispaniam profectus est, Petrus verò Pontum, & Bithyniam sæpe numero peragravit. Hic meam sententiam proponit, tanquam id asserentem, quod etiam fieri potuit. „ Ac fieri sanè potuit, ut PRIMUM CLEMENTE CONSTITUTO, cum recusaret Clemens (SI MODO SIC FACTUM EST; rationem enim sic in eo, non decerno) POSTEA POST OBITUM LINI, & CLETI, quorum uterque Episcopatum ad duodecim annos tenuit, POST S. PETRI, & PAULI OBITUM, qui contigit DUODECIMO ANNO NERONIS, hunc rursus coactum esse ad suscipiendum Episcopatum. Hic eorum refert sententiam, qui Clementem à Petro designatum esse successorem, & sic secundum extitisse autumant, designatione quidem, sed non eventu, quia Clemens recusasset.

Legatur atterè S. Irenæus cit. lib. 3. cap. 3., & apparebit, hunc S. Patrem tenuisse id pro factò, quod S. Epiphanius ponit, fieri potuisse. Ait ille 1.) quod Ss. Petrus, & Paulus fundaverint, & instruxerint Romanam ecclesiam. 2.) quod Lino ejus admistrandæ Episcopatum tradiderint. 3.) Quod Lino successerit Anacleus. 4.) Quod Clemens tertio loco ab Apostolis sortitus sit Episcopatum. Hæc evolvi non possunt per systema successivi alicujus Vicariatus, sed requirunt necessarîo succedentes in Romæ cathedrâ Episcopos.

VI. Quo igitur J. C. anno sedere cæpit Romæ S. CLEMENS? R. Jam cæperat, dum S. Apostoli ibidem sustinuerunt martyrium, quod juxta S. Epiphanium, loco mox supra, anno Neronis Imperatoris duodecimo contigit; juxta S. Hieronymum autem Neronis anno decimo quarto.*

* Libro de Viris illustr. in PETRO. Secundo Claudii anno ad expugnandum Simonem magum Roman pergit, ibique XXV. annis cathedram sacerdotalem tenuit usque AD ULTI.

ULTIMUM annum Neronis, id est XIV. Et in PAULO: Hic ergo XIV. Neronis anno eodem die, quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusque est in viâ Ostiensis, anno post passionem Domini XXXVII.

Additio 1. Facti consularum, Corpori juris civilis subijuncti, annum Neronis XII. ponunt sub consularu C. Sueronii Paulini, & Lucii Pontii Telesini, annoque Christi 67. Annum verd Neronis XIV. sub Coss. M. Gualerio Trachalo Turpiliano, & C. Silito Italico Poëta, annoque Christi 69, Simoni van Lecuwen JC. Lugd. Batavo 68.

Additio 2. Catalogus Liberianus Bibliothecæ Palatino-Vaticanae, editus à Godefrido Henschenio, & qui illum ab hoc suo sodali accepit, Ægidio Bucherio, ponit: usque Neruæ & Vestini consularum, qui annus in prædictis Fastis notatur Neronis imperantis XI., Christi in aliis 66., in aliis 65. Catalogus autem Liberianus Bibliothecæ Cæsareæ Vindobon., editus primùm à Joanne Cuspiniano, dein à J. G. Eckhardo, scripsit: usque Neruæ, & Vero; super quo vide postremi editoris præfationem in Tom. 1. scriptor. med. ævi §. IV., ubi consularum Neronis, & Veteris corruptè exprimi aasserit, consequenter passos esse Ss. Apostolos anno Christi 55. Neronis primo, utpote quo Claud. Nero Cæsar, & L. Antistius Verus erant consules; addit verd, se nondum excogitare posse, quâ audaciâ Godefrid. Henschenius Tom. I. April. in eodem, à se post Bucherium recuso catalogo ex nominibus Neruæ vel Nerone, & Vero, sive Vetere, fecerit nomina, Neruæ & Vestini:

Additio 3. Sæpè dictus ille catalogus Liberianus in præmio sic habet: passus est Dominus noster J. C. DUOBUS GEMINIS CONSULIBUS (i. e. C. Rubellio gemino, & Fusio gemino, quorum consularum alii Facti ad an. C. 29., alii ad 30., Papebrochius ad 34. figunt) VIII. Kalendas Aprilis (25. Martii) & post ascensum ejus beatissimus Petrus Episcopatum suscepit: in Petro autem sic: Petrus annis viginti quinque, mense uno, diebus novem. Fuit temporibus Tiberii Cæsaris, & Caji, & Tiberii Claudii, & Neronis à Consul. Minuci, & Longini (id est, M. Vinucii Quartini, & C. Cassii Longini Joti) usque Neruæ & Vero (Henschenius, & Papebrochius autem: usque Neruæ & Vestini) passus autem cum Paulo die III. Kalendas Julias (29. Jun.) Consul. Ss. (i. e. Consulibus supradictis) imperante Nerone. Clarum ex hoc est, quodd catalogus Liberianus vulgatus xxv. annos Episcopatus S. Petri incipiat numerare à primo, qui passionem Domini secutus est, consularu: numeræ ab hoc usque ad Consularum Nervæ, & Vestini; & habebis annos Petri xxxvi.; quod quidem proximè accedit ad dictum S. Hieronymi in Paulo superius, sed calculum Liberiani catalogi non salvat.

Additio 4. Aliter illos xxv. Petri annos inchoat Liber pontificalis, sive Anastasius Bibliothecarius de vitis RR. PP. Hic Petrus ingressus in Urlem Romam sub Neruæ Cæsare, IBIQUE sedit cathedram Episcopatus annos XXV., mensum unum, dies octo. Fuit autem temporibus Tiberii Cæsaris, & Caji, & Tiberii Claudii, & Neronis. Res est confusa, & genealogiis illis interminatis annumeranda, de quibus Apost. ad Timoth. I. 1. v. 4. Qui hanc certè extricatorum se confidit, extricet:

et: mihi autem fufficit *ſucceſſionis ſubſtantia*, atque oſtendiſſe, quòd S. *Clemens* connumerato Petro, non *ſecundus*, nec *tertius* Romæ Episcopuſ fuerit, ſed *quartus*.

VII. Aliqui Recentiores putaverunt, ſe propiùs deprehendiſſe tempus, quo ſedem Romanam tenuerit S. CLEMENS, ex Epistolâ hujus Sancti primâ ad Corinthios, quam pro genuinâ laudaverunt veteres cum S. *Irenæo*, *Epiphânio*, *Hieronymo*, & aliis; ſed nec iſtud venerabile monumentum ſufficit ad dandam, quam deſideramus, lucem.

* Elapſo ſæc. inquit *Conſtant* in eandem Epistolam, *Cyrillus Lucaris*, primùm Alexandrinuſ, ac deinde Cpolitianuſ Patriarcha, *Carolo I.* Anglorum Regi inſignem dono miſit codicem Alexandrinum, grandioribus literis, manu *Thecle*, nobiliſ ſeminæ Egyptiæ, circa Nicæni I. Concilii, ùt fertur, tempora exaratum, in quo veteris, & novi Teſtamenti libri *duæ Clementis Epistolæ* (vide can., qui dicitur Apoſtolorum, ultimam) ſubjiciuntur. Primam varii inde ab anno 1633. ex græco tranſtulerunt in latinum, digeſſerunt in numeroſ, ſcholiſtisque illuſtrârunt. Nihil autem *fixi temporis* ex eâ cum certitudine haurietur, niſi, quod *ſcripta ſit poſt mortem S. Petri & Pauli*; nam num. 5. ſic habet: *ſed, miſſis veteribus exemplis, veniamuſ AD PROXIMOS Ablecæ, & ÆTATIS NOſTRÆ generoſa EXEMPLA ſumamuſ.* Propter *emulationem* atque *invidiam*, qui Eccleſiæ erant *ſi-deleſ & juſtiſſimæ columnæ*, perſecutionem etiam uſque ad mortem paſſi ſunt. *Acci-piamuſ præ oculis noſtris bonoſ Apoſtoloſ.* PETRUS ob itiquam *emulationem* (intellexit præcipuam, Simonis magi) non *iuvenum, aut alterum*, ſed multoſ ſuſtinuit *labo-reſ*, atque na *MARTYR EFFECTUS* abiit ad *gloriæ locum.* PÄLLUS... cum *torum mundum docuiſſet juſticiam, & ad Occidentis terminum veniſſet*, ac ſub *Priacipibuſ MARTYRIUM PASSUS eſſet*... ſummum *patientie exemplar effectuſ.*

Equidem a.) num. 1. tarditatem reſponſionis excuſat propter calamitates, & caſuſ adverſoſ, qui Romanis Chriſtianiſ acciderant; & num. 6. ait: *Hiſ viriſ (Petro & Paulo) qui divinam vitam duxerunt, ingens aggregata eſt multitudo electorum, qui multoſ contumelias, multaque tormenta propter emulationem paſſi, pulcherrimo apud noſ exemplo exiſterunt.* Que fanè perſecutionem demonſtrant, ſed quam? Alii Neroniſ putant, alii verò *Domitiani A. C. 95.*, ita, ut *Conſtantiuſ* ſcriptæ Epistolæ deputer annum C. circiter 97.

b.) Ex num. 41. Epistolæ quidam concludunt, tempore, quo iſta dabatur, adhuc ſteſiſſe *templum Hieroſolymæ*, utpote everſum a. C. 70. vel 71. ſed verba: *Non ubique fratres, offeruntur ſacrificia, jugia, vitiva, vel pro peccato & del-czo, ſed Jeruſolymis tantum, atque iſtic, non in omni loco ſu ubiario, ſed ante templ. m ad altare*, verba, inquam, iſta non inferunt hitoriã ſtatûſ Hieroſolymitanuſ, qui tunc etiamnum fuiſſet; ſunt potiùs *alluſio ad legem Moſaicã per figurã*, & mo-dum

dum loquendi, quo hodieque uti posset aliquis prædicator. Sic igitur ex hæc epistola hoc unum certè arguitur, quòd S. Clemens nomen Ecclesie Romanæ eandem scripserit post facta Ss. Petri & Pauli.

VIII. *Quamdiu* S. CLEMENS in cathedrâ Romanâ sedens manserit, pariter incertum est *

* *Liberianus*, & quem *Justinianæum* vocare libet, Henscheniani catalogi, ajunt: fuit temporibus Galbae, & Vespasiani, à consulari Trachali, & Italici usque Vespasiano VII., & Tito; sed prædictus Eckardinus: Fuit temporibus Galbae, & Vespasiani à Consul. Trachali, & Italici usque Vespasiano VI. & Tito. Liber Pontificalis Anastasii autem: Fuit temporibus Galbae, & Vespasiani, à Consulari Trajani, & Italici usque Vespasianum IX. & Titum. Fastis consularibus Simonis van Leeuwen consularis Vespasiani VI. erat a. C. 75. Vespasiani VII. a. C. 76. Vespasiani IX. a. C. 79. Econtra S. Hieronymus de viris illustr. in Clemente scribit: Obiit tertio Trajani anno, qui in Fastis consularibus Corporis Jur. civil. erat a. C. 100. aliis 102. Quæ incertitudo temporis à quo, & ad quod? Relegatum in Chersonesum passum esse S. Clementem in tertiâ Christianorum persecutione, nempe quam Trajanus imperavit, nunciant Martyrologia.

Additio 1. Illud verò ad robur validæ imaginationis pertinet, quòd Henschenius tomo I. April. in catalogo RR. PP. & S. Clemente num. 42. tenet, S. Clementem a. C. 77. abdicasse Pontificatum, decem ferè annis gestum, & privarum vitam duxisse usque ad a. C. 100.: hanc sui antecessoris audacem hypothesin repetit magneus pariter opinator Papobrochius in Conatu pag. 44. num. 42., non inventurus aliàs in Catalogo, cui nimium servivit, *Liberiano* locum commodum pro Clero; & *Anaclero*, quos *Clementi* postposuit. Sine testimonio est ista abdicatio suscepti semel, & pluribus annis à Clemente Romano gesti Pontificatus Romani; quamquam multi crediderint, eundem à S. Petro propè exitum vitæ successorem sibi designatum esse, sed rem mali exempli (ex hoc potius cense fabulam, Petro utique istud non daturò) displicuisse Clero, populòque Romano, cui S. Clemens efferit, electis *Lino*, & *Clero*, quibus modò defunctis electus sit tertio post Apostolos loco. Sed præ hoc aliquid quidni potius dicamus eligere, vitium divinationis & periculis facti est, quòd JCIi passim oderunt, nec Hagiographus minùs odiosè ac fugere debet.

Additio 2. Neque hoc innuit prima Clementis ad Corinbios Epistola, dum num. 54. ait: quis ergò inter vos generosus, quis misericors, quis caritatis plenus? DICAT: si propter me seditio, & contentio, & schismata, DISCEDO, ABEO, quocumque volueritis, & quæ multitudo iusserit, facio: tantùm Oxile Christi in pace degat cum constitutis Presbyteris. Qui hoc fecerit, magnum sibi decus in Domino comparabit, & omnis locus eum suscipiet. ... hæc, qui divinam, cujus nunquam penitit, vitam vivunt, fecerunt, & facient. Ecce hoc scribit Clemens, docturus, quid unusquisque generosus Ecclesie Prælati facere debeat, si aliter pax non possit seditionem

nem suppressere: Fuitne autem Clemens in isto casu? Duo divinatores nostri ostendere debuissent (id quod passus Godefridi Vandelini ab ipsis allegatus nequam intendit) ortam fuisse Romæ in ecclesia contra S. Clementem seditionem, illi, qua postea contigisset, Corinthiæ similem, tunc aded, cum S. Clemens post Linum, & Cletum concorditer electus fuerat in Romanum Episcopum, & hanc Cathedram usque ad an. 77. æræ vulgaris tenuerat, & quodd hoc modo S. Clemens, relicta Ecclesiæ administratione, reliquam vitam peregrisset privatus; dum successivè Pontifices Romani præfuisent Ss. Cletus, Anacleus, & Evaristus, cujus tempore jam plenus dierum, & meritum Clemens obiisset Martyr anno Trajani tertio. Neque de hoc casu locutus est S. Epiphanius heresi 27., quem prælaudati authores pariter in præsidium imaginarii sui systematis adduxerunt; sed de casu *vocationis ante Linum*, velut ex testamento S. Petri.

IX. Cùm ergo juxta nos Ss. Linus & Cletus (utpotè vivente adhuc Petro defuncti Romani Episcopi) non essent Caput totius ecclesiæ, sed solùm Episcopi Romæ, fuitne saltem S. Clemens secundus totius Ecclesiæ Primas; quia S. Petro superstes? R. Pro certo non assim hoc adstruere; quoniam hætenùs sufficiens ratio allata non fuit, quodd is, qui successit Petro in Episcopatu Romano, eidem quoque ipso jure & sine quovis alio requisito, successisset in Primatu, seu Præfecturâ totius Ecclesiæ. *

Diabo-
licus
Febros-
inus

* Vis hoc ex præcepto Christi ceu jus divinum derivare, habebis contra te Catholicos, & ex Treviris duos Nicolaos, Cusanum Cardin., & Houbenium Suffraganeum, qui negarunt, & negant, jure divino annexum esse Romanæ Cathedræ Primatum Ecclesiæ catholicæ. Vis ex jure humano? ubinam istud jam fuit tempore S. Clementis? ubi canon? ubi mos? vis ex facto S. Petri? æquod istud? an fundatio, & instructio Ecclesiæ Romanæ? an mortis ibidem perceptio? an quia primus Urbis Episcopus fuit simul Apostolorum, & omnium fidelium Caput à Christo constitutus? Cave, ne hic aut fallaciam equivocationis committas in syllogismo, aut id supponas, quod est in questione. Mortuo S. Petro, dicere Caput juxta formam, quam ei Christus dedit constituendo Apostolorum Caput S. Petrum? an ad solam Romæ Ecclesiam? unde? an ad omnem Ecclesiarum collectionem? Num hæc sibi præfecit Clementem? Dic ergo, quodd, disponere per suam providentiam Domino, effectum sit, ut Petrus, relicta Antiochiâ, Romæ eligeret sedem, indeque, ut Apostolorum suo fungeretur alibi, discedens, tandem reverteretur ad Urbem, Romani Imperii caput, ac sedem, cujus urbis ecclesiæ, à Capite totius ecclesiæ fundata, ejusque martyrio honorata, facta sit Mater omnium ecclesiarum. aliarum quidem per spiritualem generationem, tanquam filiarum, à Romanâ egressarum, aliarum verò per accessionem, & adoptionem,

Damnatio
Scriptura
Schrift
Mortem
Mysterij
Intellectu
Ergo dicitur qui
dicitur fuisse
petri sedem
date recedere
19. C. 2. pag
18 quæ
An in solon
tium Individu

quatenus etiam illæ, quæ à Romanâ non erant egressæ, ecclesiæ eandem præ aliâ suâ matre venerabantur. Successivè hoc factum est, in Imperio tamen Romano pronitè ac citius, eoque Roma mundi caput esset: ita, ut S. Irenæus *lib. 3. cap. 3.* rem jam sæc. II. confectam, fixam, atque vigentem descripserit: *ad hanc enim ecclesiam PROPTER POTENTIOREM PRINCIPALITATEM* (i. e. majorem omnium ecclesiarum summam) *NECESSE est OMNEM convenire ECCLESIAM, hoc est, eos, QUI SUNT UNDIQUE, fideles.* *NECESSÈ, inquam, est, tum ex institutione Christi, quæ voluit, fore aliquod Caput suæ visibilis ecclesiæ visibile, tum ex determinatione Ecclesiarum, quæ vel ex Romanâ prodierunt, genitæ per eam, vel ad eam se contulerunt, aliunde jam genitæ; id quod necesse viderant esse ad obediendum Christi institutioni in seipsum cum in hypothesis istius manifestæ Dei sic disponentis providentiæ non poterit alia ecclesiæ ad hoc commodius, digniusque determinari, quam existens in Urbis orbi imperante.* Conforme hoc est Conc. Chalcedon. *Defin. 28. Antiquæ Romæ throno, QUOD URBS ILLA IMPERARET, jure PATRES privilegia TRIBUERUNT.* Et eadem consideratione *noti 130. Dei amantissimi Episcopi sanctissimo NOVE ROMÆ throno equalia privilegia tribuerunt, rellè judicantes, URBEM, QUÆ ET IMPERIO, ET SENATU HONORATA SIT, ET ÆQUALIBUS CUM ANTIQUISSIMA REGINA ROMA PRIVILEGIIS FRUATUR, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illam, extolli ac magni fieri; SECUNDAM post illam existentem.* Harduin. Conc. Tom. II. col. 614. Adde col. 626. Act. 16.

Additio 1. Salva nihilominus est definitio S. Concilii generalis *Florantini* de an. 1439. item *diffinitus; sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere Primatum, & ipsam Pontificem Romanum Successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in beato Petro passenti regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; QUEMADMODUM ETIAM* (καθ' ὃν ἡγεῖτον ναὶ, quod aliqui vertunt, quemadmodum &) *in gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Hæc, inquam, definitio salvatur; simul enim atque plurimæ ecclesiæ id, quod *Christus in genere, & nullâ particulari ecclesiâ nominatâ, instituit, ad Romanam Ecclesiam, ejusque Pontificem determinarunt, subintravit tota ac plena S. Petri potestas, eademque non humani auctoritatis, sed etiam divini juris.*

Additio 2. Sic ego rem explico, quia non video, quòd aut ipsa sibi Romana Ecclesiæ Primatum dare potuisset, nec quòd ei S. Petrus; neque etiam, quòd, ultra dispositionem æternæ Dei providentiæ, per quam Capitis Ecclesiæ Sedes perpetuò Urbi Romæ affixa est, video positivum DOMINI præceptum, quo jussisset ipse, illi Ecclesiæ fore dignitatem Capitis sibi Vicarii perpetuò annexam, in quâ S. Petrus fundaturus Episcopatum, ipsemet futurus esset particularis simul ejusdem ecclesiæ, hinc prærogativâ honoranda, Episcopus, idem mansurus usque ad mortem. Sanè certe fides est Catholicis omnibus, quòd S. Petrus fuerit visibile totius Ecclesiæ Caput, sive, à cum

eum *Euseb.* in Chronico fol. 35. vocat, *Christianorum Pontifex primus*; certa quoque historia est, quod is fuerit *in simul primus Romæ Episcopus, Romæ crucifixus*: Nondum verò certum est præceptum Domini, quod designasset, quis ex tot particularium ecclesiarum episcopis deberet Petro succedere in Principatu totius Ecclesiæ; nondum certa est, nec fiet hypothesis subsumentia, quod *Petrus Episcopatum Romanum tenuisset usque ad mortem suam*. Non est hoc dogma fidei Catholica: ergo nec illud, quod ab hoc dependet: Hinc ista quidem propositio nobis est dogmatica: *Christus dedit Petro, & Successoribus ejus primatum*; quia non propter Petrum, sed propter mansuram post eum Ecclesiam dedit; non autem ista: *Episcopi Romæ fuerunt Successores Petri quâ Primatis idè, quia Petrus, QUI PRIMAS ERAT, simul Episcopus Romæ fuit*. Hoc mihi videtur tenuisse *Hadrianus II.* in Allocutione III. ad Synodum Romanam contra *Photium* an. 868. apud *Harduin.* Tom. V. Conc. col. 866. *Romani Episcopi Sedi primatum Petri Apostoli meritum vel Principatus, deinde secuta justificationem Domini Conciliorum venerandorum auctoritas singulararem in ecclesiis tradidit potestatem.*

Nota hæc quatuor: 1.) *Meritum S. Petri* per confessionem *Matth. 16.* 2.) *Principatum ejus, ibi. & Joan. 21.* 3.) *Justionem Domini*, nempe generalem, quâ voluit manere usque ad consummationem sæculi formam suæ Ecclesiæ, supremam, sicut ordinaverat *Petrum*, habituræ *Episcopum*. 4.) *Autoritatem Conciliorum*, quæ, Domini generalem justificationem secuta, nec non Romæ dignioritatem attendentia, Primatum istum, usæ ecclesiarum jam determinatum, canone scripto firmarant.

Additio 3. Nec terreat quemquam temporis lacuna, quæ primo sæculo & secundo intercessisset, donec Episcopus Romæ à majore ecclesiarum parte agnosceretur pro supremo Episcoporum & fidelium omnium Patre ac Pastore, quasi multos annos stetit acephalus Christi grex sine Pastore omnium uno; cum enim Christus quoad hoc præceptum particulare non dederit, ejusque semper nobiscum manens quoad hoc præceptum particulare non dederit, ejusque semper nobiscum manens providentia suaviter hanc quoque rem disposuerit, necessum fuit tempus, ut successores unirentur omnes particulares ecclesiæ uni cuidam præcellentiori & digniori, præsertim cum nulla adesset revelatio divina, sed expectandis esset rerum prosperi successus, an Romæ stabiliter futura esset cum Episcopatu ecclesia. Quotiens autem Ecclesia nostra catholica non fuit, Deo sic permittente, sat multo tempore acephala? Post obitum *S. Marcellini*, juxta *Papebrochium*, cessavit Romanus Episcopatus annos 3. menses 6. dies 23. Post *S. Deusdedit* menses 15. Post *Honorium I.* an. 1. mens. 7. dies 17. Post *S. Leonem II.* menses 11. dies 20. Post *S. Paulum* an. 1. mens. 1. dieb. 16. Post *S. Leonem IX.* an. 1. minus 6. dieb. Post *Celestinum IV.* ultra 1½. an. Post *Clementem IV.* an. 2. menses 10. dies 27. Post *Nicolaium IV.* annos 2. mens. 3. dies 2. Post *Clementem V.* an. 2. mens. 3. dies 17. Addamus hæc pertinax schisma contra *Urbanum VI.*, & ejus Successores, creatis horum Antipapis, quod duravit ab an. 1378. usque ad annum 1417. Nonne his annis Ecclesia erat, aut verè, aut in effectu, acephala? sicut quoque tunc, cum sederunt Papa inutiles. arg. cap. 2. de translat. Episc. inutiles, inquam, sive prop-

propter vim majorem, quia ejeti aut captivi regere non potuerunt, vel quia requisita utilis Rectoris non habuerunt. Nequid repetam de incertitudine annorum, quot nempe Paparum quisque sederit primis duobus saeculis.

X. C. Baronius ad a. C. 69., cum à num. 35. examinasset chronologiam Libri Pontificalis, invenissetque in eâ contradictiones, & alystematica, num. 38. dixit, *isti haud facile innitendum esse, sed illi potius inherendum RR. PP. chronographiæ, quæ antiquiorum scriptorum, & Romanae ecclesiae potissimum testimonio confirmetur.* Consentio, neque curo Catalogos post C. Baronium editos.

XI. Ex scriptoribus autem producit 1.) apocrypham, quam ipse genuinam venditat, Epistolam S. Ignatii M. ad Mariam Cassobolitam, de qua supra Thesi III. in not., creditque affirmandum, quod sub Domitiano ea contigerint, quæ se vir sanctus nunciar pati exiliis, custodiis, vinculis, cumque scribat: *cui (Cleto) NUNC successit beatissimus CLEMENS*, concludit, *Clementem non ante Domitiani tempora Romanae Ecclesiae curam suscepisse, post Cletum* *

* Verum, hoc testimonium inutile est ad probandum 1.) quia ex una de 5 dubiis S. Ignatii Epistolis depromptum. Vid. Petr. Anatum in Appar. ad positiv. Theolog. lib. 4. art. 7., ubi recenset septem genuinas, quinque dubias, tres supposititias. 2.) Exemplar meum de an. 1516., editore Champerio, non habet particulam NUNC, sed sicut supra thesi III.

XII. Adducit 2.) Eusebium H. E. lib. 3. cap. 13. & 14., qui ex Hegeippo, temporibus Apostolorum proximo (vixit II. saec.) visus fit in suam Historiam transtulisse, quæ scribit sub Domitiano Imp. In urbe verò Româ, duodecim ANACLETUS annis in Episcopatu exactis, sacerdotii sedem CLEMENTI tradidit, & sub Trajano Imp. cap. 21. quâ tempestate in urbe Româ CLEMENS quoque, tertius post Petrum & Paulum, Pontificatum tenebat. Et denique sub eodem Imp. cap. 33. Igitur in urbe Româ TERTIUS ab Apostolis CLEMENS, novem annis Sacerdotio perfunctus, EVARISTO divini verbi tradidit ministerium, *

XIII.

* Providè posuit C. Baronius, quòd *Eusebius* hæc ex *Egesippo* transtulisse *visus sit*; neque enim ibi hoc laudat *Eusebius*, tanquam ex *Egesippo* acceptum: solet autem *Eusebius* expressim allegare *Egesippum* in testem, quem lib. 3. cap. 16. vocat *valde fidelem*. Cæterùm *Eusebius* in suâ chronotaxi sedis Romanæ XXV. annos tribuit *S. Petro*, nempe fol. Chronici 25. recto ab a. C. 44. usque ad a. C. 70.; *Lino* in Hist. Eccles. lib. 3. cap. 12. XII., sed in Chron. fol. 76. verso XI. annos, videlicet ab a. C. 70. usque 81. *Linus* ei desit vivere anno *Tiri* Imp. secundo: XII. annos quoque *Anacleto*, quem alii *Clerum* vocant, quique sub Imp. *Domitiano* obierit, adscribit, nempe ab a. C. 81. usque 94. Chron. fol. 77. verso, & fol. 78. recto; & IX. annos *Clementi*, qui sub *Trajano*, videlicet ab a. C. 94. ad 102. Chron. fol. 88. recto, & verso; hanc rationem temporum multi deserunt, velut incertam, ab *Eusebio* sine præbationibus positam.

XIII. Allegat 3.) *Tertullianum*, supponens, quod negant Criticum *Graveson* H. E. Tom. I. pag. 48., libros 5. *adversus Marcionem* pertinere inter genuina *Tertulliani* scripta; quo largè dato, quid faciemus ordine, ordinem RR. PP. *exoticè perturbante*? Vide suprà Thes. III. in not. *

* Ipse quidem C. Baronius num. 39., contra carmen *Tertulliani* putativi veriùs *Clementem post Clerum, sed ante Anaclerum*, esse ponendum putat; attamen fateatur, quòd non mediocri animum ejus suspicio pulset ex his, quæ habent *Ignatius, Tertullianus*, ex *Egesippo Eusebius*, & alii, CLEMENTEM non tertio loco, sed quarto post *Petrum* sedisse, ac post *Linum, Clerum*, ac etiam *Anaclerum*, cui successisse tradunt, sedere cepisse. At nec *Ignatius*, nec *Eusebius*, nec quisquam alius veterum duos Episcopos Romanos inter *Linum & Clementem* constituerunt; unus verò scriptor *singularis*, tamen *verus Tertullianus* foret, non meretur suspicionem, eandemque non mediocrem.

XIV. Arguit 4.) num. 40. sic: cum *Eusebius*, ac cæteri omnes, tam *Græci*, quàm *Latini* auctores testentur, CLEMENTEM subisse martyrium tertio anno *Trajani* Imp., idque *S. Hieronymus* firmiter asseveret, imò & ipse Liber de RR. PP. aperte doceat; * quâ ratione, quæso, dicere possumus, *Clementem sedisse statim post Petrum*?

* *Primus* epocham istam *Clementini* martyrii scripsit *Eusebius*, securus hunc est inter *Latinos* primus *S. Hieronymus*: hos alii, non omnes; nam *Eusebium* in chronologia RR. PP. cecuruisse, aliudque in *Historiâ*, aliud in *Chronico*, fixisse tempus, docet *Critica Pagii* de a. C. 67. num. 11., quem sic concludens finit: *Cim*

itaque in sequentibus Pontificibus Romanis, iisque praesertim, qui sui erant vixere, caecuerit Eusebius, alteri non monstrabis viam, qui sibi semitam non sapuit.

XV. Urget 5.) praecedens argumentum: ab eo tempore usque ad tertium Trajani annum intercurrit triginta trium annorum spatium: at quis unquam somniavit, tam longo tempore Clementem sedisse: imò, quis dixit, ipsum amplius novennio Ecclesiae Romanae praesuisse? id Eusebio, id nuper citato libro (Pontificali) id denique caeteris recentioribus attestantibus; sed testimoniis his jam respondi. *

* Liber pontificalis tenet id, quod de anno mortis S. Clementis scripserunt Eusebius & Hieronymus: obiit martyr anno Trajani tertio, ... & cessavit Episcopatus dies 22. Sed & praemisit: Hic ex precepto B. Petri suscepit Ecclesiam, & Pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat à Dom. Jesu Christo cathedra tradita, vel commissum: & post pauca rationem, cur nihilominus Lino & Cleto ponantur in ordine ante Clementem, istam reddit: ideo Lino, & Clero ante eum conscribuntur, eo quòd ab ipso Principe Apostolorum ad ministerium Sacerdotale exhibendum sunt Episcopi ordinati: liber hic nihilominus dicit: sedit annos IX. menses XI. dies X quos numerat usque ad Consularum Vespasiani IX. & Tiri, qui est ara vulgaris 79nus, aut 80nus: combina hac, si potes; si non potes, fatere, esse perplexum testimonium, proinde inutile ad probandum. Deinde omnes conveniunt, S. Clementem fuisse contemporaneum Ss. Apostolis Petro & Paulo: si vivere nihilominus potuit usque ad annum Trajani tertium post mortem Petri, quidni & sedere? Sed sic neque locum vacuum pro Lino & Clero; sic neutri annos Eusebii reperiunt, quibus sedissent; quarant locum, vivo adhuc Petro, sed annos Sedem non desinant, quia definiri non possunt: successionis sufficiat eis substantia, in medio relinquuntur inextricabilia tempora. Atque sic respondebitur C. Baronii, quem fecit, rogatus; Si semper dicto tempore à Nerone usque ad Trajanum sedet CLEMENS, quinam, rogo, locus assignabitur CLETO? ut dicere praetermittamus de LINO, quem voluit eadem persecutione Neronis absque honore Romanae sedis Pontificatus martyrio esse praereptum? Nempe, quòd alter alteri successerit vivo Petro, postquam hic una cum suprematu totius Ecclesiae simul tenuit aliquot annis particularem Romae Episcopatum; sicut post Petrum Leo IX. Tullensem, Clemens V. Burdigalensem, Benedictus XIV. Bononensem simul cum supremo Pontificatu aliquandiu tenuerunt.

XVI. Pergit num. 41. C. Baronius, 6.) certum esse, quod & majores cognoverint, necessaridò dicendum esse, ante Clementem, Lino, Cletoque esse sedis certa tempora tribuenda; omnes enim, qui primam RR. PP. successionem numerarunt, semper Clementem tertio

tertio loco posuisse: ita, inquit, *Irenaeus* exactè rem profecutus, ita *Optatus Milevitanus*, & eum secutus *S. Augustinus*, ita *S. Epiphanius*, ita *S. Hieronymus*: Verùm ex his non concluditur necessitas, *singulis* sibi succedentibus tribuendi *certa tempora*. *

* Paradoxum est dicere necessitatem ejus rei, quæ habebit interminabilem questionem. Hanc necessitatem nec agnovit *S. Irenaeus*, nec *Optatus Milevitanus*, nec *S. Augustinus*, quia tribuere certa tempora prudenter omiserunt. *S. Epiphanius*, agnoscens, suo jam ævo variare opiniones, in sua definitione contentus fuit *successionis substantiâ*; vide illam supra thesi V. not. 2.; extra verd sitam decisionem, dum refert opinionem ultimam, *incidenter* immisceet, tam *Linum*, quàm *Clerum* sedisse ad duodecim annos, & Petri obitum contigisse *duodecimo Neronis anno*, vid. thesin V. not. 2. Non habet *S. Pater* hic sibi consentientes omnes. *S. Hieronymus* certa tempora assignat *S. Petro & Clementi*, non sic *Lino & Cleto*, sed nec *Clementi* determinat certum tempus à quo. *S. Optatus & S. Augustinus* turbabunt definidores certorum temporum, dum omitunt *Clerum*, atque *Clementem* immediatè supponentur *Lino*, *Clementi Anacleto*, huic *Evaristum*. Vide thes. II. not. I.; quæ certitudinis temporum perturbatio frustra salvari voluit à *C. Baronio* per hoc, quòd hi duo existimaverint *Clerum*, & *Anacleto* non fuisse distinctas personas, sed eandem; nam dum illi *Clementi* postponunt *Clerum*, vel *Anacleto*, pro eodem Pontifice sumptum, necesse est, tempora, quæ *Cleto* antecedenti *Clementem* assignantur, transferri ad tempora post *Clementem* secuta, & sic perturbari.

XVII. Ad traditionem *S. Romane Ecclesie* num. 42. perveniens, adfert *C. Baronius* 7.) *Romanum Martyrologium*, pro satis locuplete teste; quod 25. Septembr. in *Lino* habet: *Rome S. LINI Papæ, & martyris, qui PRIMUS post beatum PETRUM Apostolum Romanam Ecclesiam gubernavit*: 26. April. in *Cleto*: *Natalis beati CLETI, papæ, qui SECUNDUS post PETRUM vexit Ecclesiam in persecutione Domitiani*, ac denique 23. Novembr. in *Clemente*: *Natalis S. Clementis Papæ, qui TERTIUS post beatum PETRUM Apostolum Pontificatum tenuit, & in persecutione Trajani apud Chersonesum relegatus, ibi alligatâ ad collum ejus ancorâ in mare precipitatus, martyrio coronatur*. Hc. Quidquid sit de sufficientiâ *Martyrologiorum* ad ferendum sat locuples testimonium (ex *Cleto* enim & *Anacleto* duos faciunt, quod multi negant, ut alia præteream) *substantiam successionis comprobant*, atque in eâ primum à Petro


Petro, secundum, & tertium locum; sed pro definitione certorum temporum non sufficiunt.

XVIII. Concludit suum hunc tractatum C. Baronius his verbis: *hæc licet pluribus dicta videantur, NECESSARIO TAMEN TRACTATA: nam si in ordine, & TEMPORE primorum Pontificum QUEMPIAM ERRARE contigerit, in multos ALIOS errores ferri omnino cogetur. Sed tam super ordine, & numero primorum Romæ Pontificum, quàm super tempore superstes C. Baronio fuit, ac erit porro ipsi & mihi, disputatio; quin ullus alteri propterea obijcere debeat turpe nomen erroris, errores alios post se trahentis:*

*CERTAT ADHUC MUNDUS, QUARTUS, FUERITVE
SECUNDUS:*

ET SIC CERTABIT, DONEC HIC ORBIS ABIT.

L. O. H. D.



Kr 3497

(x225 8755)

v. 218

v. 17

[Handwritten signature]



24. 25

Pro Die 2. Aprilis Anno MDCCLXXII.

à medio 9. ad med. II.

IN AUDITORIO MAJORE TREVIRENSIS ACADEMIÆ

EXERCITIUM JURIDICUM,

TENTAMINI PRO GRADIBUS PRÆMITTENDUM,

PROPOSITIS EX JURE VARIO THESISIBUS, QUAS

PRÆSIDE ME

GEORGIO CHRISTOPH. NELLER,

J.U.D., & ad Ss. Theolog. Doctoratum admissio, Ss. Canonum
Professore ordinario, & Facultatis juridicæ Seniore, insignis
Ecclesiæ Collegiatæ ad S. Simeonem Canonico Capitulari &
Bibliothecario, Reverendissimi & Serenissimi Archiepiscopi
Trevir. S. R. I. Principis Electoris Consiliario intimo,
& Examinatore synodali &c.

DEFENDET

PRÆNOBILIS, ORNATISSIMUS, AC
PERERUDITUS

D. JOANNES BAPT. MICHAEL HETZRODT,

Confluus, Juris utriusque, nec non S. R. I. publici,
& criminalis auditor.

Augustæ Trevirorum, typis ESCHERMANNIANIS.

